SYNOPSIS OECUMENICORUM ORIENTALIUM ...

Bonaventura n. 1660 Santelia, ...




BIBLIOTECA NAZIONALE
VITTORIO EMANUELE
7
4 G
15

SYNOPSIS
OECVMENICORVM ORIENTALIVM CONCILIORVM

AVTHORE

P. F. BONAVENTVRA S. ELIA Panormitano Tertij Ordinis S. FRANCISCI S. T. M. & in Collegio Siculo S. PAVLI de Arenula Vrbis S. T. Lectore.

In qua præter Historiarum notitiam, Hæresum proscriptionem, Canonumque Breuiculum

Propositiones aliquot in Conciliorum & Apostolicę Sedis fauorem defenduntur aduersùs Recentiores Impugnatores.

PARS PRIOR

EMINENTISS. ET REVERENDISS. D. D.

LEANDRO COLOREDO

S. R. E. Presbytero Cardinali Dicata.



ROMAE, Typis Angeli Bernabò, 1685.

Superiorum Permissu.

CONTINET

PARS HAEC

Hierosolymitanum Apostolorum.
Nicænum Primum.
Sardicense.
Constantinopolitanum I.
Ephesinum.
Chalcedonense.
Constantinopolitanum II.

EMIN. ET REVERENDISS.

DOMINE



NON est tribuendũ nimiæ procacitati, LEANDER *Cardinalis Amplissime*, si Oecumenicorum Orientalium Conciliorum Synopsim editurus in lucem, audeam munire priorem huius partem præualidi *Tui Nominis* panoplia. Minimus enim sapientissimi illius *Cotonij* alumnus quem tot, & tot presidijs sanè insignem, Tuâ etiam necessitudine decorasti, non ineptè ad *Patrocinij*

Tui munimina confugio. Siue enim nuncupationem inuehat exigui huius opusculi exoptata Tutela, siuè (quod sanè comitatur) officij exhibendi consilium, iure optimo *Tuæ Sapientiæ Opem* imploro. Mentis proculdubio inops existimandus, qui prę animi exiguitate ingentem admodùm hæreditatem quęrere pertimescit. Ingrati & animi vitio insimulandus, qui Maiorum suorum debitis, vt opportunitates permittunt, satisfacere non conantur. Futurum igitur spero, vt
qui

qui *Cotonÿ* noſtri Virtutes digno *Tuæ Propenſionis* affectu es proſecutus, me ſi nō Sapientiæ illius, *Tuæ* tamen *Beneuolentiæ* hæredem, excipere non abnuens, laborem qualemcumque meum, *Tuæ Sacræ Purpuræ* tegmine fouere velis, & obſequia, quæ in grati Animi indices circumferenda libro committo, ea, qua polles, *Suauitate* reſpicias. Lætum, tutumque inclyti ſui *Mœcenatis* ibit opuſculum, & ſi enim ab Authore parùm doctrinæ, minùs eloquentiæ eſt,

mutuatus, *Tuis* tamen *Præsidijs* eam venuſtatem, ornatum, concinnitatem eruditionem & grauitatem præſeferet, quibus *Patronus* ipſe innocenti morum elegantia, ac ſanctimonia præditus, & *PHILIPPI* Filiorũ Animos conuiuendo trahebat, & Auſcultantium Animas perorando alliciebat, & Sacrum *Purpuratorum* Cætum auget & exornat. Cęterùm tanta Bonorum, Virtutumque affluentia, vltra Authoris, & libri fines traſcendens, minimo huic Siculorum Collegio vallo

erit

erit; quod si semper ea, quæ *Tua* est, *Benignitate* aspexisti, noua modò nuncupatione, in *Tutelæ Tuæ* sinum se confert, Deumq; incessanter exorat; vt sicuti adeò *flammante Pyropo* SPONSAM, licèt admirabili Animi fortitudine *Te* totis viribus renitente, locupletare voluit, ita eidem ardentissimè expetitum *Thesaurum* diutissimè seruet.



CEN-

CENSVRAE.

PArtem Priorem Synopſeos Conciliorum Generalium Orientalium Auctore Ad. R. P. Mag. Fr. Bonauentura S. Elia Panormitano Tertij Ordinis S. Franciſci, nempe à Hieroſolymitano Apoſtolorum Concilio ad Synodum V. iuſſu Reuerendiſſimi Patris Magiſtri Fr. Dominici Mariȩ Puteobonelli Magiſtri Sac. Palat. Apoſt. non ſine eximia animi voluptate perlegi, vbi Scriptorem acutè, copiosè, ingeniosèque pertranctantem quæſtiones, obſeruationes Canonũ, & Dogmatum defenſionem; hȩreticorũ tum veterum, tũ recentiorũ oppugnantem verſutias; ac nonnullorum auribus & calamo prurientium conatibus occurrentem agnoui. Nihil ibi contra fidem, nihil aduerſus morum puritatem, ſed ad vtriuſq; illuſtrationem abundè. Ideoq; publicæ luci opus iure commendari poſſe cenſeo. Ex Collegio Vrbano de Prop. Fide.

Ioannes Paſtricius Philoſ. ac Sac. Theol. Doctor ibidemque Theo- [illegible]

AVſpice Eminentiſſimo Felice Roſpilioſio, Præſide R. Ad. P. M. Antonio Celeſtre Panormitano totius Religionis tunc Procuratore Generali, M. Bonauentura S. Elia Panormitanus, Tertij Ordinis S. Frāciſci, Sacræ Theologiæ Lector, pridem inſtruxit Vrbem, circa Generalia Concilia, quæ publicæ diſputationi propoſuit, nunc Orbem curat inſtruere, typis in hoc libello exponens Synodos Oecumenicas, incipiens ab Hieroſolymitana ad quintam vniuerſalem: In earum ego infraſcriptus lectione à Reuerendiſs. P. F. Dominico Maria Puteobonello S. P. Ap. Magiſtro mihi commiſſa nihil reperi contrarium Fidei, aut bonis moribus, ſed plura quæ Lectorem attrahent, in euoluendis Synodis quæ ſunt Fidei noſtræ fundamenta. Ita ſentio ex Aedibus S. Mariæ in Campitello. Hac die 23. Iunij.

Franciſcus Maria Campionus
Sacræ Theologiæ Lector.

EX commissione Reuerendissim Patris Magistri Hippolyti Ro ssini Tertij Ordinis Sancti Patris Frã cisci Generalis perlegi librum, cu titulus *Oecumenicorum Orientalium Conciliorum Synopsis &c. Prior Par* &c. Auctore A.R.P. Magistro Bona nentura Sant'Elia in nostro Collegio Siculo S. Pauli de Arenula Vrbis Sa cræ Theologiæ Lectore, & quia eum nec fidei nec bonis moribus disso num, imò varia eruditione consper sum reperi, ideo vt in publicam lu cem prodeat, dignum existimo.

Ego Frater Archangelus Garinus Si culus Assorensis Tertij Ordinis San cti Francisci Examinator Genera lis ac in Conuentu SS. Cosmæ, & Damiani Studiorum Regens.

FR: HIPPOLYTVS ROSINVS à Parma S.T.D. Sancti Officij Consultor in Patria, & Examinator Sinodalis, nec non Religionis Tertij Ordinis S. FRANCISCI Regularis Obseruantię Minister Generalis, & *Seruus*.

CVm opusculum inscriptum, *Prior Pars Conciliorum Oecumenicorum Orientalium &c.* ab A. R. P. M. Bonauentura S. Elia in nostro Collegio Siculo S. Pauli de Arenula Vrbis S. Theologiæ Lectore elaboratum, præfatus Examinator Generalis, cui commisimus recognouerit, & in lucem edi posse probauerit; facultatem facimus, vt Typis mandetur, si ijs, quorum interest, videbitur. In quorum fidem has litteras manu nostra subscriptas, sigilloque nostro munitas dedimus. Parmæ in nostro Venerabili Conuentu S. Mariæ de Quarterio quinto Kalendas Ianuarij 1686.

Fr. Hippolytus Rosinus Generalis.

Loco † sigilli;

Fr. Petrus Paulus Manzanus à Parma S.T.M. Colleg. studiorũ Regens, & Prosecretarius Generalis.

LECTORI.

NIL est, Humanissime Lector, quòd multis verborum circuitionibus in limine huius opusculi Te detineam. Ad dignoscendam Historiæ Sacræ Dignitatem, Eminentiam, Vtilitatem, nec oculis lynceis, nec superfluo rationum apparatu, præsertim his temporibus erit opus. Mihi summa Dei largitate donatum, vt Regulari Militiæ nomen adscripserim. Nomen igitur additum, vt specialiter illius studio studia mea impenderem. Synopsim Orientalium Conciliorum congessi, cuius olim publicè disputandum aliquid exposui. Eam palam facere decreui, hac præcipue ansa, vt Tibi ad tot insigniũ Virorum, quæ in diem efferuntur opera facili negotio viam sternat. Vale.

CONCILIVM HIEROSOLYMITANVM APOSTOLICVM.


Celebratum Anno Christi 44.
Præsidente D. Petro Summo Pontifice.
Imperante Claudio Cæsare.
Conuenientibus Apostolis omnibus.
Pro condendo Fidei symbolo.
Pro distributione Prouinciarum inter ipsos Apostolos: & iuxta aliquos (quos tamen impugnabimus) pro Canonibus regiminis Ecclesiastici statuendis.
Hæretici nulli.
Rationes hæreticorum nullæ.
Rationes Concilij contra hæreticos nullæ.

CAN. APOSTOLICORVM Breuiculum notulis interiectum.

Octoginta quinque Canones Apostolis adscribuntur, ex quibus solos quinquaginta priores recipiendos probabitur propositione quarta controuertibili.

Can. I. *Episcopus à duobus, vel tribus Episcopis ordinetur.*

Can. 2. *Presbyter, & reliqui Clerici ab vno.*



CANON primus confirmatus est in Nicæno I. can. 4. in quo trium Episcoporum numerus asseritur necessarius, vnà cum Metropolytani consensu. Quæri hic solet, an Episcopi consecratio ab vno tantum Episcopo facta sit

ſit valida? circa quod triplex eſt ſententia. Prima negat, aſſerens numerum ſaltem binarium Epiſcoporum neceſſitate Sacramenti neceſſarium eſſe. Secunda cum diſtinctione procedit, & validam eſſe ait, ſi fuerit Eccleſiæ diſpenſatio, inualidam ſine diſpenſatione Eccleſiæ. Tertia validam abſolutè cenſet etiam citra Eccleſiæ diſpenſationem, aſſerens dictum numerum eſſe ſolummodò neceſſarium neceſſitate præcepti. Et huic ſententiæ fauere videtur Innocentius tertius ep. 22. ad Bonifacium, admittens ordinatos ab Euagrio, qui à ſolo Paulino fuerat conſecratus Epiſcopus. Et probatur etiam primò, quia in Pontificali vnus tantum Epiſcopus *Conſecrator* dicitur, reliqui verò *Aſſiſtentes*. Secundò, quia in eodem Pontificali forma ab vno tantum proferri præſcribitur: *Vno ſuper eum fundente benedictionem*. Tertiò quia lib. 8. conſt. Clem. refertur Conſtitutio Simonis Cananæi,

vt Episcopus ordinatus ab vno deponatur, vndè supponitur validè consecratus.

Presbyter & reliqui Clerici ab vnico ordinantur Episcopo, vtpotè vnicæ Ecclesiæ seruientes, an autem ordinari possint à non Episcopis? Responsio est affirmatiua vsque ad Diaconatum inclusiuè, & olim Abbas primus Cisterciȷ, & quatuor primi Coabbates ex Pontificio priuilegio Innoc. VIII. (sine quo inualida est ordinatio) poterant conferre Subdiaconatum, & Diaconatum suis respectiuè subditis Monachis, vt inter alios refert Reuerendissimus noster Cottonus lib. 3. contr. celeb. contr. 1. c. 6 n. 125.

Can. 3. *Episcopus, vel Presbyter in Sacrificio offerens super Altare aliquid contra Constitutionem Domini, deponendus.*

Can. 4. *Præter nouas spicas, & vuas offerre licet ad Altare oleum ad luminaria, & incen-*

sum

sum, tempore, quo sancta celebratur oblatio.

Can. 5. *Non autem reliqua poma omnia, sed domum primitiæ Episcopo, vel Presbyteris dirigantur.*

Duo olim in Ecclesia extabant Altaria, in vno offerebatur sacrificiũ quod regulariter vnicum erat, & solemne, in alio ad sacrificiũ necessaria, quod à Græcis dicitur *Proscomidi*, Panis, vinũ, thus, & oleum. Ex quo colligitur vetustissimos esse in Ecclesia vsus tum luminariũ in Ecclesia, tum incensationis Altarium. Reliqua poma, seu fructus, deferebantur ad domũ Episcopi, vel Presbyteri, qui illas oblationes vnà cum cæteris Ecclesiæ redditibus in quatuor partes diuidebant, quarum prima erat Episcopi, secunda Cleri, tertia pauperum, quarta reparationi Ecclesiarũ destinabatur.

Can. 6. *Episcopus, aut Presbyter vxorem propriam sub ob-*

tentu Religionis abÿciens, excommunicandus, & perseuerans deÿciendus.

Dubium circa hunc Canonem explicatũ inuenies in prop.4.contr.

Can.7. *Episcopus, Presbyter, vel Diaconus sæculares curas adsumens, deÿciendus.*

Fundatur hic Canon in Pauli dicto 2. ad Timoth. 2. *Nemo militans Deo implicat se negotÿs sæcularibus.* Confirmatur in Concilio Chalced. can. 3. in quo excipitur pia causa pupillorum, & viduarum, fitque similis prohibitio Monachis. Ex præsenti canone, & alijs subsequentibus deducunt complures Subdiaconatum non esse ordinem sacrum maiorem ex ordinatione diuina.

Can.8. *Episcopus, Presbyter, aut Diaconus ante vernale æquinoctium Pascha celebrans cum Iudæis, est deÿciendus.*

Ratio-

Rationem huius Canonis contra Quartadecimanos hæreticos conditi tradit S. Ignatius ep. 8. ad Phil. *Si quis cum Iudæis Pascha celebrat, aut symbola eorum recipit, particeps est eorum, qui Dominum occiderunt, & Apostolos eius.* Confirmauit hunc Canonem Concilium Nicænum primum, sed Decretum non extat. Et denique post varia Concilia, & post Pium V. Gregorius XIII. emendari iussit Calendarium, inter alia, ne nostrũ Pascha concurreret cum Iudaico.

Can. 9. *Quilibet ex Clericali Catalogo, qui facta oblatione non communicauerit, nisi causam rationabilem dixerit, communione priuandus.*

Can. 10. *Sicut etiam fideles omnes, qui Scripturas audientes in oratione non perseuerauerint, nec sanctam communionem perceperint.*

Olim vt diximus in Can. 3. in Ecclesia vnicum pro sacrificio saltem solemni habebatur Altare, vnicaque qualibet die dicebatur Missa, in qua omnes Presbyteri, Diaconi, & Clerici vestibus ordini proprio conuenientibus tenebantur adesse, & communionem percipere, vel rationabilem non perceptionis caussam reddere, ne scandalum darent populo, quod celebrans, qui communiter erat Episcopus, non ritè sacrificasset, sicque ab illius communione se separarent. Ex alio Canone Vasquez disp. 214. cap. 3. cum Scholasticis antiquioribus inferunt antiquitus fuisse præceptum etiã pro Laicis communionis quotidianæ, sed tenenda est omninò sententia negatiua cum nostro Cottono lib. 1. contr. 15. cap. 2. num. 27. quia credibile non videtur, coniugatos, aut accessisse ad communionem post copulam, cum id illorum temporum decretis prohiberetur, aut perpetuò à copula abstiabsti-

abstinuisse. Canon igitur vel limitandus ad dies festos, vel intelligendus contra eos, qui ob aliquam superstitionem nō suscipiebant Eucharistiæ Sacramentum.

Can. 11. 12. *Orans, vel cum excommunicato saltem in domo, vel cum damnato Clerico, veluti cum Clerico, est communione priuandus.*

Can. 13. *Suscipiens alienum Clericum, aut Laicum à Communione suspensum absque commendatitijs litteris, cum suscepto Communione priuandus.*

Quid per commendatitias litteras intelligatur inuenies in not. can. 9 Conc. Sardic. vnà cum alijs epistolarum generibus iuxta veterem Ecclesiæ vsum

Can. 14. *Episcopo nō licet ad alienā Diœcesim translatio, nisi ex rationabili causa, multorum Episcoporum iudicio comprobata*

Vide Can. 1. & 2. Sardicensem.

Can. 15. 16. *Presbyter, Diaconus, vel Clericus sine licentia Episcopi ad alienam Parochiam pergens, à Clericorum Catalogo auferatur, præcipuè si ab Episcopo vocatus redire contempserit. Episcopus verò Clericos tales recipiens communione priuandus.*

Vide Canonem 16. Nicæni 1.

Can. 17. 18. 19. *Presbyter, Diaconus, vel Clericus fieri non potest, qui fuerit Concubinarius, Bigamus, vel acceperit viduam, eiectam, meretricem, ancillam, aut aliam spectaculis publicis mancipatam, ac denique qui duas in coniugium acceperit sorores, vel fratris filiam.*

Triplex à Doctoribus distingui solet Bigamia: Vera, quando quis rea-

realiter duas vxores habuit successiuè, & cum vtràque validum matrimonium consummauit. Interpretatiua, quando quis contraxit cum vidua, aut virgine ab alio deflorata, aut cognouit vxorem post adulterium. Similitudinaria, quando Religiosus post votum solemne Castitatis contraxit cum aliquà, & consumàuit. In Canone fit sermo de primis duabus.

Can. 20. *Clericus fideiussionibus inseruiens deponendus.*

Intellige ex animo auaritiæ, non si fiat charitatis impulsu, iuxta notationem Canonis septimi.

Can. 21. *Eunuchus natus, vel per hominum insidias factus, fieri potest Clericus, immò & Episcopus.*

Can. 22. *Nequaquam verò voluntarius.*

Vide explic. Can. 1. Conc. Nic. 1.

Can. 23. *Clericus se eunuchizans omnino damnandus.*

Can.24. *Laicus verò annis tribus Communionē priuandus.*

Can.25.26. *Quilibet ex Clericali catalogo in fornicatione, periurio, aut furto captus, deponendus, non tamen communione priuandus.*

Canonis huius rationē inuenies in Can.29.seq.

Can.27. *Clericis Lectoribus, & Cantoribus, licet vxores accipere.*

Can.28. *Episcopus, Presbyter, vel Diaconus fideles delinquentes percutiens, vt timorem illis incutiat, à suo deponendus officio.*

Can.29. *Episcopus, Presbyter, vel Diaconus iustè depositus, ministerium olim sibi commissum attrectans abscindendus penitus ab Ecclesia.*

Dicit Scriptura: *Non vindicabit Domi-*

Dominus bis in id ipsum, ob quod Canon 25. duplicem pœnam minimè dandam statuit fornicarijs &c. Hoc canone autem vltra depositionem infligitur abscissio ab Ecclesia, non autem ob idem crimen, sed ob aliud post depositionem patratum.

Can. 30. *Ordinans per pecunias Episcopos, Presbyteros, vel Diaconos cum ordinatis communione priuandus.*

Can. 31. *Episcopus sæcularibus potestatibus vtens ad obtinendam Ecclesiam, deponendus, & segregandi communicantes cum illo.*

Can. 32. *Presbyter qui Episcopum suum contemnens, nihil habens, quo circa pietatem reprehendat Episcopum, seorsim collegerit, aliud Altare erigendo, post tres Episcopi obseruationes est deponendus: Consentientes cum*

ipso

ipſo ſi fuerint Clerici deponendi, ſi Laici ſegregandi.

Ex hoc Canone nota primò Epiſcopis inferiores ſemper fuiſſe Presbyteros, vt patet etiam ex Canonibus ſuperioribus 15. & 16. & ex 40.ſeq. quam Epiſcoporum ſuperioritatem ſupra Presbyteros, quoad ordinem eſt apertè deciſum in Tridentino ſeſſ.23.can.6. Quoad iuriſdictionem verò eminet Epiſcopus tàm in foro interno, in abſoluendo, ligando, reſeruando caſus, &c. quam in externo, viſitando, Synodum congregando &c. Adduci in contrarium poteſt D. Hieronymus in ep.ad Tit. c. 1. dicentis ſuperioritatem Epiſcopi erga Presbyteros iuris humani eſſe, & non ſemper fuiſſe, ſed interpretandus eſt S.Doctor cum Becano de Sacr. c.28.q.2 & noſtro Cottono lib.3.de Clericis contr.7.c.3.num.80.quod loquutus ſit de ſuperioritate in iuriſdictione, & regimine Eccleſiæ, ob quod maior Epiſcopo honor tri-

tribuitur, quodque ipse censuit olim ad commune Episcopi, & Presbyterorum consilium pertinuisse, quamuis decursu temporis soli Episcopo adiudicatam. Nota secundò quod de vnitate Altaris diximus can. 9. & 10. Collige tertiò originem trium monitionum publicarum, quæ adhiberi solent ante excommunicationis fulminationẽ. Quartò Presbyteros posse se separare ab Episcopo reo notorij, ac inexcusabilis criminis, quod se facturos comminati sunt Episcopo Leontino Flauianus, & Diodorus Presbyteri, nisi ab Ecclesia eiecisset Aëtium Arrianum, cui ordinem Diaconatus concesserat, vt refert Theodor. lib. 2. hist. Eccl. c. 4.

Can. 33. *Presbyter aut Diaconus ab Episcopo segregatus ab alio recipi nequit, nisi fortè Episcopus segregans fuerit mortuus.*

Vidè Can. 5. Concil. Nicæni 1.

Can. 34. *Nullus Episcoporum peregrinorum, Presbyterorum, aut Diaconorum sine commendatitijs recipiatur epistolis, quæ veræ esse debeant, & non subreptitiæ, & falsæ.*

Vide Can. 8. Sardicensem.

Can. 35. 36. *Episcopi, quis inter ipsos sit maior, sciant, nihilque statuant sine illius consensu, illis exceptis, quæ ad propriam Parochiam pertinent. Similiter & ille nihil statuat in Diœcesibus Episcoporum, sine horum consensu. Nulli Episcoporum liceat extra propriam Diœcesim ordinationes facere, aliter deponendus cum ordinatis ab illo.*

Metropolitanorum vsum vetustissimum esse productis D. Pauli auctoritatibus ostendit Boyninus in huius Canonis explicatione. Pa-

rochiæ nomine olim venisse, quæ nunc appellatur Diœcesis Canon, hic satis ostendit. Canonem alterum confirmatum inuenies in Sardicensi Concilio can. 18. & in Constantinop. 1. c. 3.

Can. 37. *Episcopus, Presbyter, vel Diaconus, qui officium, & curam populi sibi commissam non susceperit, communione priuandus: Si verò populus Episcopum suscipere noluerit Clerici Comunione priuentur, quia eruditores populi non fuere.*

Propter delictum populi puniuntur Clerici, ipsisque imputantur sæcularium scelera ad quos spectat illos doctrina, & moribus erudire, vnde Clericis inquit D. Valerianus ho. 16. *Ex vestro fonte oritur, quidquid vbique bibitur, & ex vobis nascitur quidquid alibi sitientibus ministratur.*

Can. 38. *Bis in anno Episcopo-*

ſcoporum Concilia celebrentur, ideſt 4. Pentecoſtes hebdomada, & die 12. menſis Octobris.

Vide Canonem 5. Nicæni 1.

Can. 39. *Epiſcopus rerum Eccleſiaſticarum curam habeat, nec eas proprijs parentibus condonet, niſi pauperes ſint, in quo caſu tamquam pauperibus neceſſaria ſubminiſtrentur.*

Ex hoc Canone patet primò Eccleſiam poſſidere poſſe redditus. Secundò Eccleſiæ bona non eſſe vendenda, alienanda, nec permutanda, ea enim quæ Deo ſunt ſepoſita, alienanda non ſunt, ſed diſtribuenda, ſeruato ordine in Canone quinto explicato.

Can. 40. *Presbyteri, & Diaconi ſine conſenſu Epiſcopi nihil facere audeant. Manifeſtæ ſint res propriæ Epiſcopi, & res Eccleſiæ, vt illas, moriens Epiſcopus vxori, & hæredibus ſuis dereliu-*

relinquens; nullum pati possit Ecclesia detrimentum.

Colligitur primò ex hoc canone olim Episcopos, vxores, & filios, quos ante assumptum Episcopatum habebant, retinuisse post il um, ministrando illis necessaria quoad victum, & vestitum, vt soluendo dubium Canonis sexti dicemus prop 4. controu. Secundò numquam Episcopis licuisse de Ecclesię bonis disponere, sed illorum esse solummodo dispensatorem, vt in sequenti canone.

Can. 41. *In potestate Episcopi sint res Ecclesiæ, à quo per Presbyteros, & Diaconos indigentibus dispensentur, seruatis ijs, quibus ad suos, & peregrinorum fratrum vsus indiget.*

Can. 42. *Episcopus, Presbyter, & Diaconus aleæ, & ebrietati deseruiens, aut desinat, aut deponatur.*

Can. 43.

Can.43. *Reliqui Clerici, & Laici communione priuentur.*

Prohibetur hoc Canone vſus alearum, & ebrietatis, & credibile eſt depoſitionis, & excommunicationis pœnas infligi, non ſemel, aut iterum ludentibus, ſed habitualiter in ludo, vel ebrietate ſe exercentibus, hoc enim indicat vox iſta *deſeruiens*. Confirmationem huius canonis quære in Lateranen. Conc. ſub Innoc Tertio c. 15.

Can. 44. 45. *Epiſcopus, & Presbyter vſurarij, niſi deſinant, omninò damnandi. Orantes cum Hæreticis communione priuandi; Hortantes verò illos tamquam Clerici, agere, vel orare, damnandi.*

Can.46.47. *Epiſcopus, vel Presbyter Baptiſma ſuſcipiens hæreticorum, damnandus: Verè baptizatos, rebaptizans, aut pollutos ab impijs, non rebapti-*

baptizans, est deponendus.

Vide propos. controu. 4.

Can. 48. *Laicus uxorem propriam pellens, vel ab alio dimissam ducens, Communi one priuandus.*

Excipiendus adulterij casus, in quo ex Tridentino possunt coniuges separari, licet nequeant de nouo contrahere.

Can. 49. *Episcopus, vel Presbyter non baptizans in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, sed in tribus sine initio Principijs, vel in tribus Paraclitis, abijciendus.*

Can. 50. *Episcopus, vel Presbyter non celebrans trinam mersionem unius misterij, sed semel in Baptismate mergens, quod dare videtur in Domini morte, est deponendus.*

In hoc Canone præcipitur trina mer-

mersio, non quia sit necessariò requisita, Sacramenti necessitate, cum neque sit necessaria necessitate præcepti; iubebatur autem olim, vt signis, & verbis cordibus fidelium magis insigi posset Trinitatis mysterium. In præsenti seruandum docet vsum Ecclesiæ S. Gregorius Papa, consulens vnam adhibendam, ad vitandum Arrianorum errorem, trinam mersionem adhibentium, vt diuinitatis profiterentur diuisionē; *Sed quia* inquit S. Pontifex l. 1. reg. ep. 41. ad S. Leandrum, *nunc hucusque ab hæreticis infans in baptismate tertiò mergebatur, fiendum apud vos esse non censeo: ne dum mersiones numerant diuinitatem diuidant, dumque quod faciebant faciunt, ac morem nostrum vicisse glorientur.*

Vide propos. controu. 4. vbi huius Canonis redibit sermo.

Can. 51. *Fidelis quispiam, non propter exercitationem, sed propter abominationem abstinens*

nens à nuptijs, carnibus, & vino, nisi corrigatur, deponendus, & ab Ecclesia eijciendus.

Infringitur hoc Canone peruersum Saturnini dogma, qui primus omnium abstinendum esse docuit à matrimonio, & à manducatione carnis animatæ, cuius Authorem dicebat Diabolum. Cœterum horum omnium abstinentiam propter vitam monasticam, aut corporis afflictationem, semper in Ecclesia viguisse, non est dubitandum.

Can. 52. *Episcopus, Presbyter, aut Diaconus à peccatis conuersos non accipiens, deponendus.*

Montanum, & Nouatianum percutit canon iste, pertinaciter sustinentes, lapsos ad pœnitentiam recipiendos non esse, quos Hæretici nostri temporis sequi videntur confessionem auricularem, & absolutionem reijcientes.

Can. 53. *Episcopus, Presbyter,*

ter, aut Diaconus festis diebus carnem, & vinum non sumens, sed abhorrens, non propter exercitationem, deponendus.

Vide exposit. Canonis vndecimi.

Can. 54. *Clericus, præter necessitatem deprehensus comedens in cauponà segregandus.*

Can. 55. *Clericus Episcopum contumelia afficiens, deponendus.*

Can. 56. *Clericus contumelia afficiens Presbyterum, vel Diaconum, segregandus.*

Can. 57. *Clericus, aut Laicus, qui claudum, surdum, vel eum, cui vitiosus est incessus, irriserit, separandus.*

Can. 58. *Episcopus, vel Presbyter Cleri, vel Populi curam non habens, eosque pietatem non docens segregandus, & si*

in

in socordia perseuerauerit, deponendus.

Can. 59. *Similiter Episcopus & Presbyter egenis Clericis necessaria non suppeditans.*

Can. 60. *Falsò inscriptos impiorum libros, tanquam sanctos in Ecclesia publicans, deponendus.*

Quid tibi deest, conformia huic Canoni sunt verba l. 1. const. Apost. cap. 6. & 7. *In lege Dei, vt ad illas gentium fabulas confugias? si historica percurrere cupis, habes Reges: si sophistica, & Poëtica, habes Prophetas, & Iob si Cantilenas, Psalmos: si rerum origines nosse desideras, habes Genesim: Si leges & præcepta, habes gloriosam Dei legem. Ab omnibus igitur Diabolicis libris te contine.* Canon autem intelligendus de libris, qui occasio esse poterant subuersionis, recèns ad fidem conuersis. Qui etiam similiter modo perseuerat, proportione seruata, iuxta

Ecclesiæ determinationem. Excipe, si id fiat, animo, Gentiles, vel Hæreticos impugnandi, obtenta priùs à superioribus facultate.

Can. 61. *Conuictus fornicationis, adulterÿ, vel alterius actionis prohibitæ, ad Clerum, non admittendus.*

Can. 62. *Clericus, propter metum humanum, Christi denegans nomen, eÿciendus: Clerici verò nomen negans, deponendus: Pœnitentiam agens, recipiendus, vt Laicus.*

Can. 63, *Episcopus, Presbyter, Diaconus, vel Clericus comedens carnes in sanguine animæ ipsorum, vel quid à feris captum, vel morticinium, deponendus. Laicus verò, eÿciendus.*

Idem statuitur in Concil. Apost. act. 15. Quantum autem ad tempus quo

quo durauit obseruantia talis decreti, Balsamon ait, sua ætate, hoc est, vsque ad finem duodecimi sæculi apud Græcos illam viguisse. Apud Latinos iàm temporibus D. Augustini cœperat antiquari, vt ipse lib. 23. contra Faustum fatetur.

Can. 64. *Ingrediens ad orădum, in Iudæorum, vel Hæreticorum Synagogam, deponendus & segregandus.*

Can. 65. *Clericus, qui in pugnà*, hoc est, in contentione rixosa, *pulsatum aliquem vno ictu occiderit, deponendus.*

Can. 66. *Clericus ieiunans die Dominico, vel Sabbato, excepto vno solo, deponendus. Laicus verò, segregandus.*

Errorem sapit hic Canon quoad præceptum de non ieiunando die Sabbathi, quod numquam extitit, licet variæ quoad hoc fuerint

particularium Ecclesiarum consuetudines, in Orientali, & Occidentali Ecclesia, videndæ apud Baronium anno Christi 102.n.15.

Can.67. *Si quis Virginem non desponsatam, vi allata, habet, segregetur: ei autem aliam accipere non liceat, sed illam retinere, quam elegerit, etiamsi pauper sit.*

Can.68. *Episcopus, Presbyter, aut Diaconus, validè ordinatus, secundam ordinationem suscipiens, deponendus, ipse, & qui ordinauit.*

Can.69. *Episcopus, Presbyter, Diaconus, Lector, vel Cantor, præter necessitatem, non ieiunans sanctam Paschæ quadragesimam, vel quartum diem, vel Parasceuen, deponendus: Laicus verò segregandus.*

Can.70. *Episcopus, Presbyter,*

ter,

ter, Diaconus, vel Clericus ieiunans cum Iudæis, dies festos cum ipsis agens, ab ipsis xenia, azima, aut aliud quidpiam accipiens, deponendus. Laicus verò, segregandus.

Can. 71. *Christianus oleum deferens in Templa Gentium, aut in Synagogam Iudæorum, in eorum festis, vel lucernam accendens, segregandus.*

Can. 72. *Similiter Clericus, & Laicus à Sancta Ecclesia, coram, vel occultè auferens oleum, vel ceram.*

Can. 73. *Vas aureum, aut argenteum, vel velum sanctificatum, in proprium vsum conuertens, puniendus.*

Can. 74. *Episcopum, à viris fide dignis, ob aliquid, accusatum, ab Episcopis vocari necesse est: Comparens, si confessus fue-*

rit, vel conuictus, statuatur pœna. Si vocatus non paruerit, secundò, ac tertiò etiam vocetur, missis ad ipsum Episcopis duobus. Si contumax adhuc fuerit, Synodus aduersus eum sententiam pronunciet.

Can. 75. *In testimonium aduersus Episcopum hæreticus ne admittatur, sed nec vnus solus fidelis.*

Can. 76. *Non oportet Episcopum, fratri, aut filio, aut alteri cognato, humano gratificantem affectu, ad Episcopatus dignitatem quem vult eligere, nō enim Ecclesiam Dei conferre debet ad hæredes. Quod si quis id fecerit, irrita permaneat ordinatio, ipse autem excommunicatione percellatur.*

Can. 77. *Oculo orbatus, vel fœmore oblæsus, si Episcopatu*

sit

sit dignus, fiat.

Can.78. *Non autem mutus, surdus, vel cæcus, ne ecclesiastica impediantur munia.*

Can.79. *Dæmonem habens, nec fiat Clericus, nec cum fidelibus precetur, donec fuerit purgatus.*

Can.80. *Eum, qui ex Gentili accesserit, & baptizatus fuerit, vel ex improba viuendi ratione, non est æquum protinùs Episcopum fieri. Iniquum enim est, vt qui sui nondùm experientiam ostenderit, sit aliorum magister, nisi hoc diuina gratia, fiat.*

Can.81. *Episcopus, vel Presbyter, se ipsum ad publicas administrationes demittens, deponendus.*

Can.82. *Seruum, in Clerum protrahi, sine voluntate Domi-*

norum, non permittatur.

Can. 83. *Episcopus, Presbyter, & Diaconus, exercitui vacans, & vtraque obtinere volens, Romanum videlicet Magistratum, & Sacerdotalem administrationem, deponendus.*

Can. 84. *Contumelia afficiens Regem, vel Principem, præter ius, si Clericus, deponendus, si Laicus, segregandus.*

Can. 85. *Pro Canonicis Libris habeantur: Pentatheucus, Iesu naue vnus, Iudicum vnus, Ruth vnus, Regum quatuor, Paralipomenon duo, Esdræ duo, Esther vnus, Machabæorum tres, Iob vnus, Psalterium, Prouerbia, Ecclesiastes, Cantica Cant. Prophetarum duodecim, Isaiæ vnus, Ieremiæ vnus, Ezechiel vnus, Daniel vnus, Sapientiæ vnus, Euangelia quatuor,*

Pauli

Pauli epistolæ quatuordecim, Petri duæ, Ioannis tres, Iacobi vna, Iudæ vna, Clementis duæ, & octo libri ordinationum eiusdem.

Ab errore immunem nonnulli Canonem istum esse defendunt, sed parùm probabiliter, nedùm propter relictos libros, quos vt Canonicos, sancta veneratur Ecclesia, cuiusmodi sunt *Apocalypsis Iudit. &c.* verum etiã propter eos, quos, vt Canonicos recenset, cum pro talibus non habeantur, vt sunt: *epistola Clementis, octo eius libri ordinationum, & tertius Macbab.* vt videre est apud Baro. an. Christi 202.

PROP. CONTROVERTIBILES.

PRima: Quatuor Apostolorum Concilia, quæ in Actibus memorantur, nempè Act. 1. 6. 15. & 21. non fuerunt vniuersalia.

Assertio est communissima, & patet, quia dicta Concilia, vel indicta omnibus non fuere, nec ipsis

tes omnes Apoſtoli: Tertio etenim, in quo dirempta eſt lis de circumciſione, ſimul cum baptiſmo à Gentilibus recipienda, ex Apoſtolis fuere, ſoli, Petrus, Paulus, Iacobus, & Barnabas. Quarto, effecto propter contentionem de legis obſeruatione ad tempus Iudæis permiſſa, ſoli, Iacobus, & Paulus. Vel ſi fuere omnes Apoſtoli, vt in primo, & ſecundo, nec etiam dicenda videntur Concilia generalia, quia in illis nihil fuit propriè definitum, ſed ſolummodò congregati Credentes, vt omnes vnanimes orarent Altiſſimum, vel pro bona electione Apoſtoli, loco Iudæ proditoris, creandi, vel pro bona electione ſeptem Diaconorum, vt ſatisfieret expoſtulationi Gentilium, aduerſus Iudæos, quod Gentilium viduis non æquè ſubueniretur, vt viduis hæbræis. Accedit quod in primo Concilio, omnes Credentes æquè ſe habuerunt in electione S. Matthiæ, vt colligitur ex verbis illis,

illis: *& statuerunt duos &c.* in vero autem & rigoroso Concilio, votum decisiuum solis Episcopis competit.

Secunda: Licet de Concilio Hierosolymitano non loquantur Actus expressè, probabilissimum nihilominùs est, ipsum factum fuisse, seruatis conditionibus cunctis ad Oecumenicam Synodum necessarijs. Fuit enim in eo Præsidens D. Petrus Summus Pontifex: Fuere præsentes Apostoli, omnes videlicet illi, qui pro illo tempore conuenire debebant: Fuitque pertractata materia Fidei, eiusque symbolum conditum. Quæ sufficientia sunt ad præsens Concilium inter Oecumenica connumerandum.

Quod huius Concilij, ex suppositione, quod factũ fuerit, Præsidens, fuerit D. Petrus, apertè deducitur ex paritate quatuor aliorum Conciliorum, in quibus (esto non fuerint vniuersalia) fuit Præsidens D. Petrus, & vt talis, primus semper loquutus est, & silentibus reliquis

litem ex Circumcisione ortam, dissoluit, formula illa, dein in Oecumenicis Synodis, obseruata: *Visum est Spiritui Sancto & nobis.*

Fuisse autem, ab Apostolis omnibus. celebratum præsens Concilium, pertractatam Fidei materiam, eiusque symbolum conditum: Probant, tum communis Fidelium sensus, singulos Fidei articulos in symbolo contentos tribuens singulis Apostolorum, de quo præsertim circa hoc punctum, verificari debet D. Augustini dictum: *Vox popularis est quandoque doctrina salutaris.* Tum auctoritas eiusdem August. to. 10. serm. 2. Dom. Palm. n. 185. innuentis ordinem ab omnibus Apostolis seruatum, in condendo proprio articulo, hoc modo: *Petrus dixit: Credo in Deum Patrem Omnipotentem: Ioannes dixit: Creatorem cæli, & terræ: Iacobus dixit &c.* quod si hic sermo, in dubium reuocetur à nonnullis, an sit verè Augustini? certè, est vetustissimi Authoris. Idē au-

autem innuit S. Leo Papa ep. 13. ad Pulcheriam Augustam verbis illis: *Siquidem ipsa Catholici symboli breuis, & perfecta confessio, quæ duodecim Apostolorum, totidem est signata sententijs.* Idem, D. Ambros. apud Dom. à SS. Trinit. *Clauem istam arbitror duodecim artificum operatione conflatam, duodecim enim Apostolorum symbolo fides cuncta concepta est, qui veluti periti artifices in vnum conuenientes, clauem suo Concilio conflarunt.* Idem, Ruffinus in præf. expos. symb. *Discessuri Apostoli ab inuicem, normam prædicationis in commune constituerunt, ne fortè alij ab alijs abducti, diuersum aliquid, his, qui ad fidem veniebant, exponerent. Ergo omnes in vno positi, & Spiritu Sancto repleti, breue istud, futuræ, sicut diximus, prædicationis, indiciū, conferendo in vnum, quod sentiebat vnusquisque, componunt.* His accedit testimonium Hincmari Remensis Metropolitæ, qui in ep. 23. cap. 24. aduersus Nepotem suum Episcopum Laudunen-

nensem, hæc habet: *Quintam Synodum Apostolorum, quandò tempus adimpletionis aduenit, vt in omnem terram exiret sonus eorum. Et tunc symbolum, sicut vniuersalis Ecclesia tenet, condiderunt.* Et denique auctoritas totius Synodi Ephesinæ l.1.fo.379.in relat.ad Theod.Aug. de Nestorij depositione: *Fides, initio quidèm à sanctis Apostolis tradita, posteà verò à 318. Patribus sanctissimis in Metropolitana Nicæna exposita &c.* intellige de symbolis Apostolico, & Nicæno. Plura desiderans perlegat eruditissimum Lupũ par.1. dissert. de symbol. Apost. & Nicæno.

Tertia: Canonum collectionem, quæ Apostolorum nomine circumfertur, probabilius est, non ab Apostolis, sed à veteri Ecclesia factam fuisse.

Probatur assertio, ex Hincmaro citato in opusc.55. cap.25. contra Nepotem suum: *Non ab Apostolis conscripti esse creduntur Canones, qui*

vo-

vocantur Apostolorum, sed antequam Episcopi Concilia liberè inciperent à deuotis quibusdam collecti. Accedit non leuis, assertionis, congruentia deducta ex can. 50. in quo depositione punitur non baptizans in nomine Sanctissimæ Trinitatis: siquidem, cum secundùm aliquos, Apostoli baptizassent, vel in solo nomine Iesu, idque ex speciali dispensatione, vt censet Doctor subtilis, D. Thomas, & D. Bonauentura, vel si in nomine Trinitatis, expressam de Christo fecerint mentionem, vt placet alijs, non est verisimile ipsos Canonem edidisse de baptismatis forma, nihil dicendo de hac Christi Domini mentione ab ipsis adhibita. Quæ congruẽtia eò redditur efficacior, quòd in Canone præcipitur trina mersio, non quod sit absolutè necessaria, sed quia priscis temporibus adhibenda erat, vt innotesceret magis, Trinitatis mysterium; si igitur ob simile motiuum baptizabant Apostoli,

ſtoli, vel in ſolo nomine Ieſu, vel ſaltem ſpecialem de ipſo mentionem facientes, non eſt credibile ipſos merſionem trinam adeò explicitè præcepiſſe, nihil prorſus addendo de Chriſti Domini Mentione. Alia itèm, ex eodem Canone, ratio eruitur: ſiquidem veriſimile non videtur, Apoſtolos aliquod præcepiſſe, abſque exceptione vlla, quod non ſemper ab ipſis obſeruabatur; Trinam autem merſionem, quæ, in canone dicto, in collatione baptiſmatis, præcipitur adhibenda, frequentatam ſemper non fuiſſe ab Apoſtolis, ſatis oſtendit, quod Actor. 2. narrat S. Lucas de baptiſmo vnica die collato tribus circiter hominum millibus, quod certè tam paruo tempore fieri non potuiſſet, ſi per trinam merſionem quemlibet baptizaſſent.

Non inficior autem quòd à Patribus Grȩcis interdùm Apoſtolis tribuantur nonnulla Canonibus hiſce contenta, verùm hæc illis (vt

Caba-

Cabaſutij vtar verbis in not. Concil. veteris edit. fol. mihi 13.) accepta ferunt Sancti Patres, non quatenus in illa vulgari Canonum ſerie continentur, ſed quatenus ab Apoſtolis eiuſmodi traditio, & vſus in Eccleſias præſertim Orientales dimanauerat.

Quarta: Ex canonibus prædictis, ſoli quinquaginta priores, habendi ſunt, vt legitimi, reliqui, & ſi à Græcis recipiantur, reſpuendi ſunt, vt apocryphi. Aſſertio eſt contra Gonzalez tom. 1. decretal. fol. 8. & alios apud ipſum. Sed Probatur, quia, ſic dicendo, ſaluatur ex vna parte, diſſidium Scriptorum Eccleſiaſticorum, & præſertim D. Ioannis Damaſceni lib. 4. de fide orthod. collocantis illos in Catalogo diuinarum ſcripturarum noui Teſtam. & Gelaſij Papæ exaduerſo, in Concilio Romano, illos reijcientis, vt apocryphos. Et ex altera, diſcurrimus conformiter ad Vrbanum ſecundum apud Gratianum diſt.

dist. 32. can. *præter* §. *sciendum* dicentem, canones Apostolicos ex toto à Græcis, ex parte à Latinis recipi, & Hincmarum Metropolitam Rhemensem citatum, testantem in Canonibus Apostolorum reperiri: *quædam receptibilia, quædam verò non seruanda.* Ex quibus, & alijs auctoritatibus adducendis, colligitur, ni fallor, non adeò solidam esse responsionem Gonzalez dicentis, Gelasiũ Papam loquutum fuisse non de his 85. sed de alijs canonibus nomine Apostolorum à Prisciallinistis confictis.

Clariùs sententiam nostram confirmant, Stephanus Papa IV. qui vt refert Anastasius Bibliothecarius act. 4. Synodi Lateranensis habitæ anno 769. statuit: *Non amplius suscipiantur Apostolorum canonum prolata per S. Clementem, nisi quinquaginta capita, quæ suscipit sancta Dei Catholica Romana Ecclesia.* Humbertus Leonis 9. Legatus, qui in responsione ad libellum Nicetæ

Pres-

Presbyteri, & Monachi contra Latinos editum: *Clementis*, inquit, *librum*, *idest*, *Petri Apostoli itinerarium*, *& Apostolorum canones numerant Patres inter apocrypha, exceptis quinquaginta capitulis, quæ decreuerunt orthodoxæ fidei adiungenda*. Quod si Zephyrinus Papa, vt habet cit. Gratianus dist. 16. & Sixtus Senensis lib. 2. Bibl. sanctæ fol. mihi 50. dicat: *Sexaginta sententias Apostoli præscripserunt*: erratum censet numerum Bellarminus ob librariorum incuriam. Accedit in assertionis confirmationem, Canones, qui errorem sapiunt, posteriores esse 50. à nobis admissis, vt Canon 65. de Sabbato non ieiunando, 85. de numero sacrorum librorum, & alij.

Obijci tamen hic potest primo etiam Canones 46. & 47. nullius esse firmitatis, & roboris, vtpotè hæreticorum Baptisma reijcientes contra Ecclesiæ statuta, vndè probabilissimum est illos insertos fuisse

ab

ab Orientalibus, qui, pertinaciter defendentes ſententiam Firmiliani & Cypriani contra baptiſmum ab hæreticis collatum dictos canones Apoſtolorum nomine publicarunt, vt eorum placitum appareret Apoſtolica auctoritate fundatum. Quod redditur veriſimilius, ſi inſpiciatur S. Auguſtini auctoritas teſtantis ex vna parte, D. Cyprianum ſententiam præfatam abiuraſſe, & ex altera ipſius retractationẽ ab Orientalibus fuiſſe ſuppreſſam. *Correxiſſe autem*, ait ep. 48. *Iſtam ſententiam non inuenitur, non incongruenter tamen de tanto viro exiſtimandum eſt quod correxerit, & fortaſſe ſuppreſſum ſit ab eis, qui hoc errore nimium delectati ſunt, & tanto velut patrocinio carere noluerunt*. Adde Firmilianum & Cyprianum nullibi in confirmationem ſuæ ſententiæ prefatos canones adduxiſſe, ſignũ, quod ſuo tempore non extiterint, ſed poſt ipſos ab Orientalibus fuerint cõficti.

Vt ab hoc vltimo incipiam: Non de-

desunt, qui hac vnica ratione freti, censeant, totam collectionem canonum, factam fuisse post Firmiliani, & Cypriani tempora, & inter hos est Illustr. Petrus de Marca, contra quem esse videtur Hincmarus Remensis mox à nobis adductus, asserens Canonum horum collectionem factam fuisse *antequam Episcopi Concilia inciperent*: Certum est autem, ante Cyprianum, varia celebrata fuisse Concilia, inter quæ numerantur, Concilium Romanum, Ponticum, Ostroënum, & Asiaticum celebrata sub Victore Papa, anno 198. & Concilium Gallicum sub Irenæo Episcopo Lugdunensi eodem itidem anno. Sicut etiam, est æquè certum ipsum D. Cyprianum pro sententia propria stabilienda, plura celebrasse Concilia, vnde ante, non post ipsum, facta videtur Canonum collectio.

Pro responsione duo dicam: Primò non adesse motiuum sufficiens asserendi canones 46. & 47. sub-

ſubreptitios eſſe, & dolo Orientalium conditos. Secundò, initium collectionis canonum incertum eſſe, ſed vtrumque intra limites probabilitatis manere, Canones videlicet collectos fuiſſe ante, vel poſt tempora Cypriani. Primum dictum probatur, quia canones præfati, abſque vlla verborum mutatione, vel extorſione, ſanum redolent ſenſum, canon etenim 45. damnat ſolummodò Epiſcopum, vel Presbyterum *ſuſcipientem hæreticorum baptiſma*: ſuſcipere autem baptiſma hæreticorum, nedum dicitur, qui baptizatos ab hæreticis non rebaptizat, ſed etiam, & magis propriè permittens catholicos ab hæreticis baptizari: ſic autem intellectus canon, eſt optimus, licet enim baptiſma hæreticorum ſit validum, illud nihilominus ab hæreticis spontè recipientes, vel recipi permittentes, participes efficiuntur hæreticorum doctrinæ, vt argumento ſimili, celebrantes Paſcha

cum

cum Iudæis, eorum, qui Dominum occiderunt, participes, appellauit S. Ignatius adductus supra Can. 8. Quod si canonem accipiamus in primo sensu, tunc referendo illum ad can. 47 sequentem, legitimè intelligi debet de recipiente, non quodlibet hæreticorum baptisma, sed baptisma inualidum, & hæreticorum formam Ecclesiæ non seruãtium: Canon enim 47. non damnat, non rebaptizantes ab hæreticis baptizatos præcisè, sed ab hæreticis *pollutos*, quod accipi debet in vero, & proprio sensu, nempè de pollutione quoad Sacramenti substantiam, aliter Catholici baptizati ab hæreticis necessitate coacti, polluti dici deberent, quod non videtur dicendum. Insuper si præcisè per hoc, quod aliqui Canones aliquam habent apparentiam in hæreticorum fauorem, subreptitij essent dicendi, & falsi, subreptitios, & falsos asserere deberemus canones omnes, omnesque Patrum

aucto-

auctoritates, quibus sua mendacia defendere tentant, vt plurimum hæretici. Attendi igitur debet pro pleno, adequato, & vero canonum vel auctoritatum sensu, vel contextus ipsorum, vel circumstantiæ in quibus fuere conditi. Sint pro exemplo, canon 10. & 50. Illo communione priuantur fideles sacrificio præsentes, & non communicantes: Isto præcipitur trina mersio in baptismate vterque autem ex circumstantijs explicatur contra eos, qui vel superstitione ducti nō percipiebant Eucharisticum Sacramentum, vel trinam mersionem non adhibebant, baptizantes in Domini morte, non verò in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Cum igitur constet, ex 49. aliquos olim baptizasse *in tribus sine initio principijs &c.* Quænam extorsio sensus erit canones 46. ex 47. explicare contra huiusmodi hæreticos inualidè baptizantes? Hanc quoque responsionem adhibendam putabis alijs, canonem

nonem quintum, ab hęreticis confi-ctum, asserentibus, eo quia statuat depositionis pœnã, in Episcopum, Presbyterum, vel Diaconum, qui Religionis *prætextu*, suam vxorem dimiserit: si attenta distinctione inter cohabitationem domesticam, & thori consortium, quam indicant D.Greg.Papa to.1.lib.7. ep.29. fol. mihi 246. & S. Leo P. codice canonum cap.17.apud Boyu.tom 4.suæ Theol. fol. mihi 200. canonem intelliges, de vxoris eiectione quoad domesticam cohabitationem, alimentum, & vinculum charitatis, non quoad thori consortium, & cohabitationem carnalem.

Displicet præfata Can.46.& 47. explicatio Natali Alexandro, hist. Eccl.sæc.1.diss.17. *Nam*, inquit, *hæc expositio repugnat primùm, verbis Canonis, qui non horum, aut illorum hæreticorum, sed simpliciter hæreticorum baptisma repudiat. Secundò, quia ratio, qua nititur canon 46. non à baptismi forma, sed à baptizantis persona ducta est. Episcopum*, inquit, *aut*

Presbyterum, hæreticorum suscipientem baptisma, damnari præcipimus, quæ enim conuentio Christi cum Belial? quæ pars fideli cum infideli? Vult Author Canonis, hæretici baptisma futile, ac nullum esse, quòd hæretici nulla sit cum Christo communio, vel conuentio: at quisquis verè hæreticus est nullam habet cum Christo conuentionem: ergo, vel quorumuis hæreticorum baptisma, præfato canone reprobatur, vel inepta prorsus ab Authore Canonis, atque ab eius instituto aliena, allata ratio est. sic ille, cuius verba referre placuit, vt imbecillitas argumenti magis eluceret, pro quo:

Abs re non erit aduertere Natalem, eadem dissertatione conclus. 2. stabilire 50. canones priores, sexto sæculo, aut post ipsum obtinuisse authoritatem per Ecclesiam Occidentalem vniuersam, 35. posterioribus reiectis, concl. autem 3. omnes 85. canones Apostolis suppositos, & pseudo-gigraphos esse, cuius assertionis ratio quarta est: quia si canon 46. *Verè ab Apostolis conditus est,*

est, sequitur Ecclesiam in grauissimo errore versari, præsertim Romanam, quæ Stephano P.M. duce circa annum Domini 254. hæreticorum baptismum ratum habuit &c. post quæ adducens à nobis propugnatam canonum praefatorum explicationem, impugnat verbis relatis. Hic sistamus. Canones igitur 46. & 47. per Natalem sunt protsus incompossibiles cum decreto Stephani Papæ ratum habentis hæreticorum baptisma: ergo vniuersa Occidentalis Ecclesia, adeoque Romana, versatur in errore grauissimo, post decretum Stephani Papæ, canones præfatos in prioribus quinquaginta contentos recipiendo, sicque Arguens, Ecclesię infallibilitatem propugnans, ipsam solemniter asserit esse deceptam.

Directè ad 1. satis, superque est responsum in rationibus nostræ conclusionis. Ad 2. resp. 1. quod primæ nostrę Canonum expositioni de non permittendo hæreticis baptizare, etiamsi baptizent validè,

confonat omninò ratio à Perfonis, non à forma deducta. Stando autem fecundæ expofitioni, dico 1. Rationem canonis deductam effe, à perfona hæreticorum, non quomodocumque & materialiter fumpta, fed formaliter, qua tali, hæretici autem in baptifmo feruantes Catholicæ Ecclefiæ formam, in ordine ad collationem Baptifmi, materialiter dumtaxat funt hæretici non formaliter. Dico 2. canonem loqui de forma, & de Perfonis, fed principaliùs de illa, ratione illius de iftis. *Belial*, enim, vt Cornelius à Lapide, explicans cap. 6. epift. 2. ad Corinth. notauit: *Primò, inobedientiam, rebellionem, impietatem, fecundò inobedientes, rebelles, impios, tertiò fignificat diabolum* Nec coniunctio Belial cum Chrifto aliquid in contrarium probat, nam etiam Chrifti nomine venit, eius doctrina: vnde D. Hieronymus epift. 22. ad Euftochium. *Quid facit cum Pfalterio Horatius? cum Apoftolis Cicero?* hoc eft quid cum Pfalterio doctrina,

Hora-

Horatij? quid cum Apostolorum verbis, verba Ciceronis? similiter in proposito.

Incertum autem esse, collectionis canonum istorum, initium, fatentur omnes: Si asseratur, ipsos conditos fuisse, ante tempora Firmiliani, & Cypriani, tunc dicam hos, illos non citasse, vel quia ad ipsorum cognitionem, non dum venerant, vel quia illis temporibus non erant illius roboris, & firmitatis quam nunc habent. Si verò credatur, canones hos, collectos fuisse post Cypriani tempora, statim dicam, Hincmarum Remensem non asseruisse absolutè, collectionem factam antequam Episcopi Concilia inciperent celebrare, sed antequam inciperent *liberè* celebrare, quod accidit temporibus Constantini. Qui dicendi modus probabilior videtur, magisque fauet sententiæ nostræ de collectione Canonum post tempora Apostolorum.

Remanet soluenda obiectio Gõzalez citati, deducta, ex eo, quod

Canones Apostolorum, quinquaginta à nobis admissis, posteriores, citati reperiantur à Pontificibus summis, Patribus, & Concilijs, signum euidens, & ipsos esse recipiendos non minus ac quinquaginta priores. Ad quod breuiter dico appositè nos non reiecisse canones illos, vt falsos, & erroneos, sed vt apocryphos, cum quo est compossibile, quod in ipsis plura contineantur vera, & receptibilia, de quo euidens habemus exemplum, (vt alia omittam) de Canonibus Trullanis, qui licet, qua tales nullam habeant authoritatem, complures nihilominus ex ipsis passim citari solent, quia vtiles, vera continentes, & in alijs forsitan Concilijs confirmati. Quod & in omnibus libris apocryphis est obseruandum, semper enim falsa veris miscentur, vt his, illa reddantur credibilia. Corrigendus est autem Gonzalez in hoc quod asserat Canones 55. & 56. citari à D. Cypriano lib. 3. epist. 9. ad Rogatianum, perle-

perlecta enim epistola, nec vmbram citationis inuenio. Scio, idem in dicta epistola statui à Cypriano, quod in Canonibus dictis sancitur, nempè deponendos esse Clericos, proprios Episcopos contumelia afficientes, sed non per hoc dici debet quod dictos canones citet. Sicque dictum Gonzalez non minuit probabilitatem sententiæ asserentis canonum collectionem factam post tempora Cypriani. Aliter dici etiam posset Cyprianum citasse, & mentionem fecisse de can. 46. & 47. fauentibus saltem apparenter suæ opinioni de nullitate baptismi collati ab hæreticis, quod tamen est contra communem Scriptorũ sensũ, vt supra tetigimus.

LOCA LIBRORVM, In quibus tractatur de discussis in hoc Concilio.

CLemens Rom. in ep. ad Iacob. fratrem Domini, quamuis conficta. Lucas Actorum cap. 16.

Irenęus lib. 1. c. 7. Iordanus serm. 1. in diuisione Apost. Albert. Magnus de sacrificio Missæ tract. 2. cap. 8. to. 21. Baronius anno 44. Saussaius in suo Andræa p. 1. lib. 2. c. 4. Emanuel à Schelstrate par. 2. antiq. illustr. dissert. 2. cap. 1. Petrus de Marca lib. 3. cap. 2. num. 1. Christianus Lupus par 1. Gonzalez tom. 1. decret. fol. 8. Boyuinus tom. 4. suæ Theol. quadripartitæ disp. 3.



CONCILIVM

NICAENVM PRIMVM.

In Nicæa Metropoli Bithiniæ celebratũ anno Christi 325. D. Syluestro Papa, Præsidente per suos Legatos, Hosium Episc. Cordubensem, Victorem, & Vincentium Romanæ Ecclesię Presbyteros.

Re-


Regnante Conſtantino Magno Imperatore.

Conſulibus Paulino, & Iuliano.

Conuenientibus Epiſcop. 318.

Pro defenſione Diuinitatis Verbi contra Arium.

SVMMARIA NICAENI, vſque ad Sardicen. Concil. Hiſtoriæ notitia.



ARius Presbyter Alexandrinus, cui fundamentum dediſſe videtur Origenes, ſuſpectam de æqualitate Verbi cum Patre tradens doctrinam; vndè S. Epiphan. in epiſt. ad Ioannem Hieroſolymit. ipſum vocat: *Arij Patrem, & aliarum hæreſum radicem, & parentem*, inuidiæ ſtimulis agitatus, eo quod in Sede Alexandrina, quam ambiuerat, locatum viderit D. Alexandrum; Verbum diuinum aſſeuerauit eſſe diuerſæ à Pa-

Patre, inferiorisque naturæ, atque à Patre in tempore ex nihilo creatum. Cumque illum ad veritatis agnitionem reducere non posset, Sanctus Alexander, benignis officijs, ac priuatis admonitionibus, nec lata in ipsum excommunicatione in Alexandrino Concilio, ab Athanasio Apol.2. & Socrate lib.3. cap. 5. memorato; congruum visum fuit peruersum eius dogma vniuersali, & Oecumenica Synodo, de qua nunc agimus profligare.

Conuocatis igitur, Nicææ in Bithinia, ordine, tum Diui Siluestri, tum Constantini Imperatoris pijssimi, Episcopis 318. Synodo præsedere legati Apostolicæ Sedis, Hosius, Victor, & Vincentius relati. Inter alios Episcopos interfuere Concilio Episcopi, Alexander Alexandriæ, Eustatius Antiochiæ, Macarius Hierosolymæ, & iuxta Metodium Nicolaus celeberrimus Miræ in Lycia Episcopus. Cum quibus, alijsque sanctissimis Episcopis interuenere cō plu-

plures Episcopi Ariani, qui accusationibus calumniosis sanctos Episcopos sunt insectati apud Imperatorem, sed hic summæ dedit specimen pietatis, porrectos sibi Libellos concremando proferens verba immortalitate plena, infra adducenda. Editum fuit in Concilio, fidei symbolum, in quo Sancta Synodus profitebatur Filium esse genitum ante omnia sæcula, Deum verum de Deo vero, Patrique Consubstantialem & coæternum, cui fidei formulæ subscripsere nedum Catholici omnes, sed etiam Ariani, illi equidem animo propugnandæ Fidei orthodoxæ, isti Principem formidantes. Excommunicatus fuit Arius, & exilio pulsus cum suis peruicacioribus asseclis, sancitum fuit tempus Paschæ in die Dominica prima post 14 Lunam mensis primi, & si fides adhibeatur Sozomeno, conditus in hac Sacrosancta Synodo fuit etiam Glorificationis hymnus; *Gloria Patri & Filio & Spiritui Sancto*, vel vt placet
 alijs,

alijs, relatis verbis, addita fuere reliqua: *Sicut erat in principio &c.* Acta Synodi huius, quę si fidem adhibeamus Isidoro Mercatori, quatuor Euangeliorum molem excedebant, concremata ab Arianis fuere, solique extant canones viginti, de quibus infra.

Absoluto Sacrosanto Concilio, Eusebius Nicomediensis Episcopus Arianus, astutia & dolo, rescriptum obtinuit à Cæsare, quo D. Athanasio pręscribebatur, vt Arium, qui conuersionem simulauerat, in vrbem Alexandriam, & in suam communionem reciperet; quod inuictissimus Athanasius exequi renuens, suspectus Imperatori redditur ob multa & nefanda crimina, illi opposita ab Eusebio, quorum cognitionem, Synodo, commisit Imperator, conuocatæ, Cesaręæ in Palæstina, Tirumque dein translatæ. In Synodo licet renuens comparuit Athanasius cum 47. Episcopis sui Patriarchatus, moxque iussus ab Arianis, vt accusationibus, veriùs, calum-

calumnijs, responderet, de Iudicum incompetentia, est protestatus. Accusationes erant, primò, quod Arsenium occidisset, manumque illi dexteram, obtruncasset: sed hæc impostura, producto in medium Concilij, Arsenio, cum vtraque manu, prorsus euanuit. Secundò, Quod mulierem violasset, sed mulieris simul, ac hæreticorum malitiã, patefecit Timotheus presbyter, qui fingens se esse Athanasium: *Ego ne Tibi*, dixit mulieri, *vim attuli, & stuprum intuli?* cui illa, perfricta fronte affirmatiuè respondit. Tertiò denique. Quod effregisset, nescio quem, Calicem, & ob hoc per depositionem Testium iniquorũ, damnatus Athanasius, Imperatorem adijt, ipsi aduersariorum fraudes, propalans, sed inutiliter; quia iterum Imperator accusationibus impiorum seductus, audiens præsertim, quod Athanasius pluries comminatus fuisset, se prohibiturum annonæ transuectionem ex Aegypto ad regiam ciuitatem, illum exulare præcepit,

Mo-


Moritur interea Constantinus, ipsoque è viuis sublato Constantinus iunior inclytus fidei Nicænæ protector, Athanasium sedi suæ restituit. Ira propterea incensi Eusebiani, quibus fauebat Constantius, qui Aegyptum, & orientem regebat, ad pristinam de effractione Calicis calumniam recurrentes Iulio Summo Pontifici, qui post Marcum, Siluestro successerat, Athanasium accusant. Vocat, tum Athanasium, tum aduersarios Pontifex, ille comparet, isti se excusant, vnde examinata Athanasij causa in Synodo Episcoporum 50. Athanasius ad propriam sedem remittitur; sed ipsi, via ab Eusebianis præcluditur, qui Pseudosynodum celebrantes, denuò damnationis sententiam in ipsum proferunt, & Georgium, seu Gregorium Cappadocem, Episcopum Alexandrinum instituunt, eo consilio, vt armis, omnique violentiæ genere in populum, Athanasij studiosissimum grassaretur.

In-

Ingrauescente igitur in dies Arrianorum peste, post alias particulares Synodos, anno Christi 347. Consulibus Russino, & Eusebio de consensu tum Constantis, tum Constantij Imperatorum, conuocata est Oecumenica, & vniuersalis Synodus Sardicensis, in qua coràm 300. Episcopis orthodoxis, agitata est in primis causa Athanasij, ac examinatis ad vnguem, tum Conciliabuli Tyrij actibus, tum accusationibus hereticorum contra Athanasium in dicto Conciliabulo, & coram Papa productis, data est sententia pro sanctissimo, & inuictissimo Athanasio: Dein alijs Episcopis absolutis, qui ab hæreticis eiecti fuerant, receptaque fide Nicæna, nihil ab ipsa mutato, vel addito, nulloque, de nouo, edito Fidei symbolo, Canones 21. conditi fuere, sicque Synodus absoluta Arianis absentibus, quia impares numero se, Catholicis, cernentes, pluries in vanum vocati ad Synodum, Pape ordine, de consensu duo-

rum

rum Imperatorum, congregatam, PseudoSynodum Philippis in Thracia celebrarunt, & excommunicationis sententiam, nedum in sanctissimum Athanasium, verum & in Hosium Cordubensem, qui Nicæno, & Sardicensi præsedit Concilio, Maximum Treuirensem Episcopum, & in ipsum Summum Pontificem, proferre, minimè dubitarunt; PseudoSynodum, vt facilius recipi posset, Sardicensis nomine vocantes, quo factum est, vt inter alios notant optimè Lupus, & Cabasutius, vt Hæretici Donatistę falsam istam Synodum sub Sardicensis nomine publicauerint, suppressis, Sardicensis, ac Oecumenicæ Synodi, actis, ac proinde, non mirum, si D. Augustinus Sacrosanctum, ac Sardicense Concilium non agnouerit.



ARII

ARII RATIONES.


PRima: Ioannis 14. *Pater maior me eſt*, quæ auctoritas explicari non poteſt de Chriſto vt homine, tum quia comparatio fieri non ſolet, niſi inter ea, quæ ſunt eiuſdem generis: Tum quia, Chriſtum, vt hominem, eſſe Deo minorem, ſatis conſtabat.

Secunda: Ioannis 17. *Vt ſint vnum ſicut & nos vnum ſumus*: Atqui nos eſſe non poſſumus vnum in Natura ſingulari, ſed ſolummodò animo, & voluntate, ergo Pater, & Filius non ſunt vnum in eadem Natura, ſed vnione tantummodò Charitatis.

Tertia: Vnitas & Pluralitas opponuntur, ſuntque inter ſe incompoſſibiles, ergo ſi vnus eſt Deus, admitti nequit diſtinctio Patris, & Filij.

Quarta deducta ex ignorantia diei, & horæ vniuerſalis iudicij his verbis traditur à D. Ambroſ. lib. 5. cap. 7.

rum Imperatorum, congregatam, PſeudoSynodum Philippis in Thracia celebrarunt, & excommunicationis ſententiam, nedum in ſanctiſſimum Athanaſium, verum & in Hoſium Cordubenſem, qui Nicæno, & Sardicenſi præſedit Concilio, Maximum Treuirenſem Epiſcopum, & in ipſum Summum Pontificem, proferre, minimè dubitarunt; PſeudoSynodum, vt facilius recipi poſset, Sardicenſis nomine vocantes, quo factum eſt, vt inter alios notant optimè Lupus, & Cabaſutius, vt Hæretici Donatiſtę falſam iſtam Synodum ſub Sardicenſis nomine publicauerint, ſuppreſſis, Sardicenſis, ac Oecumenicæ Synodi, actis, ac proinde, non mirum, ſi D. Auguſtinus Sacroſanctum, ac Sardicenſe Concilium non agnouerit.



ARII

ARII RATIONES.

PRima: Ioannis 14. *Pater maior me est*, quæ auctoritas explicari non potest de Christo vt homine, tum quia comparatio fieri non solet, nisi inter ea, quæ sunt eiusdem generis: Tum quia, Christum, vt hominem, esse Deo minorem, satis constabat.


Secunda: Ioannis 17. *Vt sint vnum sicut & nos vnum sumus*: Atqui nos esse non possumus vnum in Natura singulari, sed solummodò animo, & voluntate, ergo Pater, & Filius non sunt vnum in eadem Natura, sed vnione tantummodò Charitatis.

Tertia: Vnitas & Pluralitas opponuntur, suntque inter se incompossibiles, ergo si vnus est Deus, admitti nequit distinctio Patris, & Filij.

Quarta deducta ex ignorantia diei, & horæ vniuersalis iudicij his verbis traditur à D. Ambros. lib. 5. cap. 7.

cap.7. de fide ad Gratianum Augustum: *Nonne quotidie perstrepunt Ariani scientiam omnem in Christo esse non posse? quia ipse, inquiunt, diei & horæ se, professus est, esse ignarum. Scriptum est, inquiunt, de die autem illo & hora nemo scit, neque Angeli cælorum, neque Filius, nisi solus Pater.*

Quinta: Io.17. *Ego te clarificaui super terram*, & ad Phil.2. *Humiliauit semetipsum factus obediens &c.* Si igitur Verbum, Patrem clarificauit, ipsique fuit obediens, non ipsi æquale, in eadem Natura, sed ipso inferius, ipsique subditum est dicendum. Quod etiam confirmat dictum illud Christi, Lucæ 42. *Confiteor Tibi Pater Domine cæli, & terræ*, vox enim confessionis, cum Deo videatur indigna, proferentem, puram creaturam declarat.



RATIONES CONCILII Contra Arium.

PRima : Fundatur in innumeris penè ſcripturę auctoritatibus, Chriſto Domino diuinitatem tribuentibus : Ex eis ipſe paucas seligam, quibus contra Arianos vſi ſunt Sancti Patres. Matth. 3. *Hic eſt Filius meus dilectus*, ac ſi diceret: *Donaui adoptionis, plurimis, nomen, ſed iſte mihi Filius eſt: Ne quæras alium, ne non hunc eſſe credas. Hunc ego tamquam indice digito, ac verbi ſignificatione contingo, quia dico, & meus eſt, & hic eſt, filius eſt.* Sic diſcurrit D. Hilarius lib. 6. Ioann. 5. *Quia Patrem ſuum dicebat Deum, æqualem ſe faciens Deo. Patrem ſuum*, ſubdit D. Auguſt. tract. 17. in Ioan. *Dicebat Deum, non quomodocumque, ſed quid? æqualem ſe faciens Deo: legimus, & Iudæos dixiſſe: cum Tu ſis Pater noſter, ergo non hinc iraſcebantur, quia Patrem ſuum dicebat Deum, ſed quod longè alio modo, quam homi-

homines; Ecce intelligunt Iudæi, quod non intelligunt Ariani. Non eum intellexerunt esse Christum, nec eum intellexerunt Filium Dei, sed tamen intellexerunt in illis verbis, quia talis commendaretur Filius Dei, qui æqualis esset Deo. Simile argumentum contra Arianos deducit Venerabilis Beda, explicans cap. 22. Lucæ in fine, vbi interrogatus Christus: *Tu es ergo Filius Dei?* respondit: *Vos dicitis:* & illi; *Quid adhuc egemus testibus?* quasi maximam audissent blasphemiam: audiamus illationem S.Comm. *Sua se ergo sententia condemnant, qui eum morti tradunt, quem oris & operis sui testimonio Deum esse cognoscunt. Condemnant & Arianos, qui verba diuinæ Maiestatis nuncia, clarificato iam, post mortem, Domino, nolint intelligere, quæ eo vincto, adhuc flagellatoque & irriso ipsi qui Crucifixi erant intellexere carnifices.* Ioan. 10. *Ego & Pater vnum sumus.* Ex quibus verbis, sic contra Arianos idem August. lib. 3. contra Maxim. c. 22. *Puto, quod vos, quan-*

documque hoc audiatis, horrescitis, nec fertis quemquam hominem, quantolibet munere sanctitatis excellat, dicentem: Ego & Deus vnum sumus. Ita ne quisquam vestrum, & si non audet dicere, ego & Deus vnum sumus saltem audet dicere: Paulus & Deus vnum sunt, sicuti incunctanter dicimus: Deus Pater, & Deus Filius vnum sunt? Ioan. 19. *Hæc scripta sunt, vt credatis, quia Iesus est Christus Filius Dei, & vt credentes vitam habeatis in nomine eius.* Quæ verba sic vrget S. Hilarius lib. 6. contra Arianos: *scribendi igitur Euangelij, nõ aliam prætulit causam, quam vt omnes crederent Iesum esse Christum Filium Dei. Si sufficit ad salutem Christum credere, cur adiecit Filium Dei?* Huic primæ rationi finem imponat D. Petri, de Christi Diuinitate, confessio, Matth. 16. *Tu es Christus Filius Dei viui*, ab ipsomet Christo laudata, illis verbis: *Beatus es Simon Bariona, quia caro & sanguis non reuelauit Tibi, sed Pater meus, qui in cœlis est. Neque enim* egregiè S. Hilarius:

larius: *tantùm Petro, ex confesso honore, laus reddita est, sed ex agnitione mysterij, quia non Christum solum, sed Christum Dei Filium esse confessus est. Nam vtique ad confessionem honoris suffecerat dixisse: Tu es Christus. Sed inane fuerat, Christum ab eo confessum fuisse, nisi Dei Filium confiteretur.*

Secunda: In Deo est vera, perfecta, & vniuoca viuentis generatio, qua non per partem, ne essentia diuina diuisibilis admittatur, sed per totum, communicatur eadem numero Genito, Generantis substantia, ergo Genitus est eiusdem cum Patre substantiæ, & inde cum eo idem Deus. Consequentia est manifesta. Antecedens probatur: Tum quia fœcunditas, cum sit maxima perfectio, nō est Deo deneganda, si admitti potest in ipso, omni imperfectione seclusa. Tum præsertim ex sacris litteris persæpe tribuentibus Deo fœcunditatem: Isaiæ 53. *Generationem eius qui enarrabit?* Isaiæ vlt. *Numquid qui alios parere*

facio

facio, ipſe non pariam? qui generatio-nem aliȷs tribuo, ſterilis ero? ait Dominus. Pſal. 2. *Dominus dixit ad me Filius meus es Tu, ego hodie genui Te*, ex quibus verbis occaſionem arripit D. Paulus probandi, Verbi excellentiam, ſupra omnes creaturas ad Hæbr. 1. *Cui Angelorum dixit Deus, Filius meus es Tu, ego hodie genui Te?* 1. Ioann. 5. *ſimus in vero Filio eius*. Lucæ 1. *Filius Altiſſimi vocabitur.* ad Rom. 8. *Qui proprio Filio ſuo non pepercit.*

Nec poſsunt authoritates præfatę intelligi de filiatione adoptiua & per gratiam, primò, quia per hanc reddi non poſset maior Angelis, vnde D. Chryſoſt. explicans citata D. Pauli verba: *ſi gratia*, inquit hom. 2. in epiſt. ad Hæbr. fol. mihi 382. *Eſſet Filius, non ſolum non excelleret Angelos, ſed etiam illis minor eſſet. Quomodo hoc? inquis: Quia & homines iuſti appellati ſunt Filiȷ. Proinde nomen Filiȷ, niſi ingenuitatem oſtendat, non poterit excellentiam probare.* Secundò quia, ſi

eſſet

esset Filius dumtaxat adoptiuus; non diceretur, *verus*, *proprius*, nec *Vnigenitus*, vt dicitur, Ioan. 3. *Vt Filium suum Vnigenitum daret.* Io.1. *Vnigenitus, qui est in sinu Patris* Io 4. *Quoniam Filium suum Vnigenitum misit in mundum.* Ioan. 1. *Gloriam quasi Vnigeniti à Patre. Non ergo* infert egregiè Cyrillus Alexandrin. lib. 10. thes. c.4. *Quia solus à Patre creatus est, sed quia solus ex Patre naturaliter nascitur, idcircò Vnigenitus appellatur.* Et Cyrillus Hierosolym. Catechesi 11. in illa verba Nicæni symboli: *Filium Dei Vnigenitum*, inquit: *sic non existimes esse adoptiuū, sed naturaliter Vnigenitum Filium, qui fratrem alium habet nullum, propterea enim vocatur Vnigenitus, quod in dignitate in diuinitate, ex Patre generatione fratrem non habet.* Quod si aliquoties Verbum diuinum dicitur, *Primogenitus*, ly, *primo*, non trahit secundum, vel tertium genitum, sed solummodò alium genitum ante ipsum excludit, vt etiam accipi debet, dictum illud de
B. Vir-

B. Virgine: *Peperit Filium suum Primogenitum*. Dicitur etiam, *Primogenitus*, primitate perfectionis, quia ipse naturaliter genitus in similitudinem naturæ, reliqui, vt simplices creaturæ, *ideo Filius Dei Primogenitus, quia in sæculo nemo sic natus est*, sic D. Ioan. Chrysf. hom. 1. in symb. Has autem explicationes aptissimas esse, patet ex contextu, dicitur enim, *Primogenitus ante omnem creaturam*, si autem in Arianorum sensu sumi deberet, ly *Primogenitus*, reliqua, puta, lapides, plantę &c. respectu quorum dicitur *Primogenitus*, esse deberent eiusdem Naturæ cum ipso. *Quid significat*, ait citatus Chrysost. hom. 3. in ep. ad Colos. *illud* Primogenitus? *Creatum esse, inquis, bene. Alioquin verò Primogenitus eius est essentiæ cum illis, quorum est* Primogenitus. *Dixit enim vniuersæ creaturæ, ergo & lapidũ &c.*

Ad primam hæreticorum: Benè explicatur auctoritas Ioan. de Christo, vt homine, & diuersa sæpè diuersis comparantur, vndè benè

dicitur : Leo eſt Agno fortior, Elephas maior lapillo ; & Iob 33. Deus dicitur maior homine : *Reſpondebo tibi, quod maior eſt Deus homine*. Hac autem comparatione vſus eſt Chriſtus Dominus, vt omninò tolleretur occaſio errandi, ipſum, hominem non credendo, vt errarunt poſteà Eutichiani, & Manichæi.

Ad 2. ly, *ſicut*, exprimit ſimilitudinem, non identitatem, facitque hunc ſenſum : ſint Fideles vnum charitate, ſicuti Nos vnum ſumus vnitate Naturæ : ſicque etiam explicanda illa alia comparatio; *Eſtote perfecti, ſicut & Pater veſter cæleſtis perfectus eſt*, ideſt, *eſtote perfecti*, perfectione vobis poſſibili, *ſicut & Pater veſter cæleſtis perfectus eſt* perfectione infinita, & eſsentiali. Nam iuxta regul. Innoc. III. in cap. *damnamus* de ſumma Trinit. *Inter Creatorem, & creaturam, non poteſt tanta ſimilitudo notari, quin inter eos maior diſſimilitudo ſit notanda.*

Ad 3. Vnitas & Pluralitas opponuntur

nuntur ſumptæ in eadem ratione, & ſenſu, non autem in diuerſo, cuiuſmodi ſunt Vnitas Eſsentiæ, & Trinitas Perſonarum.

Ad 4. Patrum veterum communis reſponſio eſt, Chriſtum ignoraſse diem iudicij, ſolùm ſecundũ humanitatem. Sed quoniam ex hoc, deſumpſere occaſionẽ Agnoëtæ, negandi abſolutè ſcientiam Chriſto vt homini, ideò cum diſtinctione eſt procedendum. Vel enim accipitur Chriſtus vt homo, nullo prorſus habito reſpectu ad Diuinitatem, ſed pura humanitate attenta & ſic, ipſi tribui poteſt ignorantia: *Nudæ, puraque humanitatis*, inquit Eulogius apud Photium biblioth. cod. 230. *ſignum proprium eſt ignorantia. Hac ratione ergo Chriſti humanitati, vt ſimplici, & puræ humanitatis naturæ conſideratæ adſcribi potuit ignorantia.* Vel ſumitur cum aliquo ad Diuinitatem reſpectu, & ſic nec Chriſto, vt homini, eſt deneganda ſcientia: *Quamquam enim Dominus*, ſic Author Dial. de Trin.

ad calcem tom. 6. oper. Cyril i: *Naturam ignorantem assumpsit, diuinas tamen ei prærogatiuas, & dotes impertiuit, habebatque anima Domini omnem sapientiam, non natura, non gratia, sed propter vnionem personalem cum eo, qui solus est sapiens.*

Cœterum non desunt aliæ Patrũ explicationes videndæ apud Polemicos, duas subdam, Augustini videlicet conc. 1. in Psalm. 56. sic alloquentis: *Quia verò Dominus Iesus Christus, Magister nobis missus est, etiam Filium hominis dixit nescire diem illum, quia in magisterio eius non erat, vt per eum sciretur à nobis.* Et D. Greg. Papę lib. 8. ep. 42. *De eo, quod scriptum est, quia diem, & horam, neque Filius, neque Angeli sciunt, non ad eundem Filium, iuxta hoc quod caput est, sed iuxta corpus eius quod sumus nos, est certissimè referendum.*

Ad 5. Christus *Clarificatum à se Patrem dixit opere consummato, quod ab eo Pater accipit, non vt à Ministro, ne creatura videatur, sed à virtute, &* sa-

ſapientia Genitoris. Videatur D. Cyrillus lib. 11. in Ioan. cap. 17. hanc reſponſionem pulcherrimis ſimilitudinibus confirmans. Ex alia auctoritate D. Pauli, ſic arripit occaſionem Chryſoſt. inuehendi contra Arianos hom. 7. in epiſt. ad Phil. *O ſtolidi, ac dementes! hoc de illo nihil detrahit. Quandoquidem nos etiam amicis obedimus, neque id tamen minores nos facit. Spontè Filius Patri obediuit. Honorauit Patrem, non vt eum tu propterea hoc honore ſpoliares, ſed vt magis ſuſpiceres, ac venerareris, vt vel hinc germanum Filium agnoſceres, ac ſuſpiceres, quod omnium maximè Patrem honorauit*. Directè eandem author. explicat D. Max. diſp. cum Pyrro inquiens: *Obediens non quatenus Deus, ſed quatenus homo fuit: quatenus enim Deus, nec obediens fuit, vt Patres ſentiunt, nec inobediens* Ad vltimã auctoritatẽ: *Confeſſio*, quam nõ ſemper pœnitentiã, ſed & gratiarum actionem ſignificare, notauit poſt Aug. Venerabilis Beda, ſi Chriſtum indicat hominem

verba subsequentia ipsum, Deum satis ostendunt, vnde illa explicans Beda cit. sic insurgit contra Arianos: *Audiant, qui Saluatorem non natum, sed creatum calumniant, quod Patrem suum vocet cæli, & terræ Dominum. Si enim & ipse creatura est, & creatura Conditorem sui, Patrem appellare potest, stultum fuit non & suum, & cæli ac terræ Dominum, vel Patrem similiter appellare.*

NICAEN. AC SARDICEN. CANONVM.

Breuiculum notulis interiectum.

NICAENI.

Can. 1. *Castratus à Medicis, vel Barbaris suscipi potest ad Clerum, minimè qui se ipsum castrauit.*

EVnuchos natos, vel à Medicis, morbi causa, castratos, fide, & moribus integros admitti posse, nedum ad Clerum, sed etiam ad Episcopatum, ostendit canon 21. Apostolorum, docetque antiquus Ecclesiæ vsus: Etenim Apostoli, vt ali-

quibus

quibus placet, ordinauerunt Episcopum, Eunuchum Reginæ Candacis, Melithon Eunuchus fuit Episcopus Sardensis, & Polycrates item Eunuchus Ephesiorum. Dixi, morbi causa, nam faciens se castrare causa libidinis, vel alia, irregularis efficitur, sic enim, ipse sibi est auctor iniuriæ, vnde Eustatius Presbyterum Leontium ob libidinem castratum deposuit, & Demetrius Origenem ob eandem causam noluit ad sacram ordinationem admittere. Idem dicendum de castrato Iudicis, sententia, ob aliquod crimen iustè lata, nam virilium amputatio etiam in hoc casu, culpæ propriæ est tribuenda.

Can. 2. *Neophitus, Episcopus, vel Presbyter non ordinetur. Conuictus de aliquo Animæ delicto duobus, vel tribus testibus abstineat à Clero.*

Fundatur hic Canon in Apost. dicto. *Non Neophitum, ne in superbiam elatus, in iudicium incidat Diaboli.*

boli. Quod etiam indicat 1. ad Timoth. 5. verbis illis: *Manus citò nemini imposueris*. Quid autèm intelligatur per Animæ delictum multi multa dicunt, placet explicatio de completa per actum externum luxuriæ post Baptismi susceptionem, vtpotè conformis Canoni 50. Concilij Elibertini, cui præsedit idem Hosius, qui præsedit Nicæno.

Can. 3. *Subintroductæ mulieres nonnisi propinquæ haberi possunt à Clericis.*

Vetat Canon hic nedùm coniugium, sed etiam mulierum familiaritatem, cohabitationem, & famulatum, & citatur ad hunc finem à S. Basilio epist. 17. Explicatio autem nonnullorum eruditorum, quòd per subintroductas mulieres intelligi debeant solummodo extraneæ, non consonat, ni fallor, exceptioni: *nisi fortè aut matrem, aut sororem &c.*

Can. 4. *Episcopus à tribus*

sal.

ſaltem ordinetur Epiſcopis. Confirmatio ad Metropolitanum pertineat.

Canonem iſtum explicatum habes in can. 1. Apoſtolorum.

Can. 5. *Excommunicatus ab aliquo Epiſcopo recipi non poteſt à reliquis. Duo quotannis in qualibet Prouincia, Concilia celebrentur.*

Arius à S. Alexandro excommunicatus, & ab vtroque Euſebio admiſſus, occaſio fuit huius Canonis, cui ſimilis eſt Can. Apoſt. 33. vbi excipitur caſus, in quo Epiſcopus, qui excommunicauerit, obierit. Canonem poſtea confirmarunt Synodus Sardicen. can. 16. Synodus Antiochena can. 6. varijque Summi Pontifices, & plurima alia Concilia ſubſequentia. Eſt autem intelligendus de excommunicatione valida, nam inualidè excommunicatus, ſi certò conſtat de inualiditate, recipi poteſt.

Concilia duo quotannis celebrari

brari iussit etiam Oecumenica Synodus Chalcedonensis Can. 18. Leo ep.82. & ante statuerat canon 38. Apostol. assignans pro primo quartam hebdomadem Pentecostes, & pro secundo, duodecimam diem mensis Octobris.

Can.6. *Alexandrinus Episcopus per Lybyam, & Pentapolim habeat potestatem, quia Episcopo Romano parilis mos est. Ecclesijs sua serueatur priuilegia. Episcopus sine Metropolitani sententia esse nequit. Factus verò suffragijs plurium, contradicentibus duobus, vel tribus, tenet.*

Desiderantur in hoc Canone, verba nonnulla titulum præferentia, ipsumque clariorem reddentia desumenda, ex act. 6. Chalcedon. Concil. vbi citatur canon hic 6. hoc exordio: *Ecclesia Romana semper habuit primatum*, post quæ sequitur: *Teneat autem Aegyptus &c.* Ex quibus patet Canonem nihil decer-

decernere circa Sedis Romanæ primatum, ſed ipſum ſupponere, & vt regulam accipere cæterarum. Aliqua nihilominus remanet difficultas ex illa cauſali orta: *Quia Epiſcopo Romano parilis mos eſt*, quæ videtur auctoritatem Romani Pontificis toto orbe diffuſam certis definire limitibus, non minùs ac eſt aretata Sedes Antiochena, & Alexandrina. Ad quod triplex eſt ſolutio: Prima, quod cauſalis illa, ſimilitudinem denotat non æqualitatem, vndè ſicuti dici ſolet, quod poteſt Papa per totam Eccleſiam, poteſt Epiſcopus in Diœceſi, ſic in caſu noſtro, Alexandrinus Epiſcopus per Lybyam habeat poteſtatem, quia parilis mos eſt Papæ, auhoritatem habere per totum orbem. Secunda canonem explicat. *Alexandrinus &c. quia Epiſcopo Romano parilis mos eſt*, hoc eſt, quia Romanus Epiſcopus ità conſueuit, gubernare videlicet illas Prouincias per Epiſcopum Alexandrinum.

Tertia melior, quatuor in Sum-

mo Pontifice respectus considerat: Primò, prout Summus Pontifex, secundò, prout Patriarcha, tertiò, vt Metropolita, quartò, vt Episcopus. Summo Pontificatu excepto, quo nulli est similis, sed super omnes eminet Patriarchas, Metropolitas, & Episcopos, Pontifex in ijs, quæ exercet, vt Patriarcha, similes habet reliquos Patriarchas, eadem exercentes in suis Patriarchatibus, & sic de reliquis proportione seruata. His præmissis paritas currit in nostro Canone inter Episcopum Alexandrinum, & Summum Pontificem, non quà talem, sed quà Patriarcham, tempore enim Concilij Niceni tres soli erant Patriarchæ, Romanus, videlicet, Alexandrinus, Antiochenus, vnde Constantinopolitanus, & Hierosolymitanus, Patriarchæ dicuntur *Addititij*, & omnia quæ vt Patriarcha gerebat Summus Pontifex in Occidente, videlicet Archiepiscopos, & Episcopos ordinare, subiectarum sibi Prouinciarum Synodos conuocare,

care, vices suas Archiepiscopis, vel Episcopis demandare &c. gerere posse, ait, noster Canon in suo Patriarchatu Episcopum Alexandrinum. Præscribitur etiam in Canone norma, vt in electionibus Ecclesiasticis præualeat pars, quæ plurium nititur suffragijs. Legendus post reliquos Paulutius egregiè, ac subtiliter canonem istum discutiens lib. 2. iurisp. sacræ tract. 2. cap. 3. per totum.

Can. 7. *Aeliæ, seu Hierosolymitanus Episcopus iuxta consuetudinem honoretur, salua Metropolis propria dignitate.*

Hierosolyma, Ælias dicta ab Ælio Adriano Augusto ipsius priùs euersore, dein restauratore, vi huius Canonis Patriarchali dignitate minimè decoratur, vt contendit Balsamon, cum Metropoli subdita declaretur, licet post ipsam, primum obtineat locum, quam subiectionem incompossibilem cum Patriarchatu fatebitur perlegens notationem canonis præcedentis.

Can. 8.

Can.8. *Cathari ordinati, ad Ecclesiam reuertentes, fidemquè profitentes Catholicam, permaneant in Clero. Quod si fuerint Episcopi, si alius non factus fuerit Episcopus, Episcopi maneant, si factus fuerit, Presbyteri, vel Chorepiscopi gaudeant dignitate.*

Catharorum nomine veniunt Nouatiani, Catharos, seu mundos se nominantes; his, vt ad Fidei conuersionem eos alliciat canon, de veterum seueritate remittens, eosdem, quibus gaudebant, honores, promittit, solo Episcopatu excepto, in casu, quo alius fuerit electus Episcopus, tunc enim ne duo essent vnius Ecclesiæ Episcopi, Episcopus rediens ad fidem, gaudebat Presbyteri, vel Chorepiscopi gradu. Duos Episcopos præfici non posse vni Ecclesiæ, notat noster Cottonus lib. 3. de cler. controu. 7. cap. 1. non esse de iure diuino, sed tantum de iure humano antiquissimo,

mo, vt apparet in *cap. quoniam de off. iud. ordin.* verbis illis. *Prohibemus autem omninò, ne vna, eademque Ciuitas, siue Diœcesis diuersos Pontifices habeat, tamquam vnum corpus diuersa capita, quasi monstrum.* Ob ignorantiam presentis Canonis Nicæni D. Augustinum tempore Valerij, eiusdem cum eo Vrbis Episcopum se ordinari permisisse, ipsemet August. fatetur ep. 110. *Adhuc in corpore posito bo. me. Patre, & Episcopo meo sene Valerio, Episcopus ordinatus sum, & sedi cum illo; quod Concilio Nicæno prohibitum fuisse nesciebam, nec ipse sciebat.*

Duæ autem olim habebantur Chorepiscoporum classes, alij erant simplices Presbyteri in pagis, & oppidis particularibus, Episcoporum functiones facientes, exceptis Presbyterorum, vel Diaconorum &c. Ordinatione, Altarium consecratione, alijsque munijs, Episcopis solum conuenientibus, vti nunc faciunt Episcoporum Vicarij, & de huius generis Chorepiscopis intelligen-

ligendus est Papa Damasus ep. 3. cum dicit Chorepiscopis Subdiaconorum ordinationem nunquam fuisse permissam. Alterius classis Chorepiscopi erant verè Episcopi, sed propriam non habebant Ecclesiam, vnde ministrabant in aliorum Diœcesi, facientes etiam Episcopalia munia ex commissione Episcopi illius Diœcesis, & huiusmodi sunt Chorepiscopi, de quibus loquitur canon noster, quibusq; can. 18 Antioch. Concil. licitã fuisse asserit Subdiaconorum ordinationem.

Can. 9. *Ad Presbyteriũ absque examine promoti, vel si examinati, sint sua peccata confessi eisque confessis, præter Canonem moti homines manus impesuerint, eos Canon non admittit.*

Can. 10. *Lapsi, per ignorantiã, aut ordinantium dissimulationem promoti, cogniti deponantur.*

Can. 11. *Lapsi per triennij audientiam, sexennij substra-*

tionem

tionem, ac bienny consistentiam pœniteant.

Quatuor pœnitentiæ gradus, seu classes, olim vigebant. Fletus, Auditio, Substratus, Consistentia. Primus fiebat extra Ecclesiam, seu in eius porticu vestibulari (quam antiquæ Ecclesiæ ferè omnes habebant) vbi pœnitentes, quibus ingressus Ecclesiæ erat ptohibitus, ingredientes orabant lachrymis, gemitibus, geniculationibus, & osculis pedum, vt pro ipsis deprecarentur Altissimum. Secundus gradus dicebatur *Auditionis*, quia in ipso constitutis audire permittebatur concionem cum cathecumenis in narthece, seu vestibulo templi. Tertius dicebatur *Substrationis*, eò quòd qui in ipso reperiebantur, non stantes, sed substrati orabant, Missamque, quæ dicebatur Cathecumenorum, audiebant, hoc est vsque ad offertorium, ante quod voce Diaconi à templi liminibus erant exclusi. Quartus dicebatur *Consistentiæ*, eò quòd in ipso constituti

ſtituti perſiſtebant ad finem vſque Collectæ, & Miſſæ, ſed nec Euchariſtiam percipiebant, nec conſecrandos panes offerebant, vt alij. De his gradibus fit mentio in hoc Canone, primo excepto, vel quia illum ſupponebant Patres Concilij vel quia erat extra Eccleſiam. Per lapſos autèm veniunt hìc lapſi à fide, vel per hæreſim, vel potiſſimùm per aliquod idololatriæ peccatum.

Can. 12. *Deſertum militiæ cingulum repetentes, tribus annis inter Audientes, decem inter ſubſtratos, inter Conſiſtentes verò pro arbitratu Epiſcopi permaneant.*

Canon iſte fidelibus militiam non prohibet, ſed in eos dumtaxat eſt editus, qui, vt ſe inchoatæ pœnitentiæ moleſtijs eriperent, militarem profeſſionem ſub Gentilibns Principibus, quam pœnitentiæ cauſa abdicarant, nedum reſumere, ſed etiã auſi fuiſſent pecunia, & largitionibus emere. Can. 13.

Can.13. *Moribundus viatico non priuetur. Si conualeſcat, pœnitentiæ canonica tempora proſequatur. Generalitèr Moribundo Euchariſtiam poſcenti Epiſcopus poſt probationem dare debebit.*

Viatici nomine Euchariſtiam intelligit Cabaſutius, ſed vt opinor meliùs Abſolutionem venire cenſet Lupus, quia de Euchariſtia loquitur vltima pars Canonis, & Abſolutionem Sacramentalem viaticum antiquitùs appellatã fuiſſe probat idem ex Innoc.I. & Synodis Arauſicana, & Agathenſi, ex Hincmaro & alijs Viatici nomen Sacramentali abſolutioni tribuentibus. Circa Euchariſtiam textus Græcus, ſic loquitur: *Generalitèr omni in exitu Euchariſtiam petenti Epiſcopus dabit iuxtà arbitrium ſuum.* Ex quo confirmatur, quod diximus, Viatici nomine Abſolutionem venire. De illo enim dicit abſolutè Canon: *Viatico minimè priuetur*, non ſic autem

autẽ communionẽ dandã præcipit, sed Episcopi remittit arbitrio. Quod confirmatur magìs, ex particula *necessariò*, quæ videtur esse ratio cur in canone viaticum absolutè præcipiatur, non Communio, quia scilicet illud, est simpliciter necessarium, nõ autem Communio. Si autem nomine Viatici, veniret etiam Eucharistia, & non Sacramentalis absolutio, hoc non posset verificari. Immò prima pars canonis videretur parùm cohærens secundę, illa siquidèm absolutè præciperet, Communione non privandos moribundos, posterior verò id ipsum arbitrio remitteret Episcopi.

Can. 14. *Lapsi Cathecumeni tribus annis inter Audientes sint, postea cum Cathecumenis orent.*

Can. 15. *Episcopus, Presbyter, vel Diaconus ad aliam Ciuitatem non transferatur. Translatus Ecclesiam suam reassu-*

reaſſumere compellatur.

Vide notat. Canon. Sardicen. 1. & ſecundi.

Can. 16. *Presbyteri, Diaconi, vel Clerici temerè ab Eccleſia ſua diſcedentes, nedùm recipi nequeunt, ſed ad propriam redire, etiam communionis priuatione, ſunt compellendi. Ordinatio Clerici alieni irrita comprobatur.*

Sanctio hæc perſæpè in Concilijs repetitur, vt videre eſt in Hieroſ.can.15. & 16. in Sardicenſi can. 15. in Calcedonen. can.20. & in Trident.ſeſs.14.cap.2.& ſeſs.23. cap.8. Damnat autem clericos ad aliam ciuitatem properantes, & illic ordines recipientes temerè, hoc eſt proprio nutu, & abſque Superiorum licentia, irritans ordinationem eorum, hoc eſt inutilē reddens ob depoſitionis pœnam. Collige ex his tum obedientiam à Clericis præſtandã Epiſcopis: Tum criminis grauitatē, cum Clerici ſuã Eccle-

Ecclesiam deserebant. Tum denique veterem vsum Clericos ordinandi sub solo Beneficij non Patrimonij titulo.

Can. 17. *Vsuras ex mutuo sumens, centesimas, vel sesquialteras exigens, vel aliud turpis lucri gratia excogitans, deponatur à Clero, sitque alienus à Canone.*

Vsuras prohibet Canon iste specialem faciens mentionem de centesimis, & sesquialteris. Vsura centesima erat illa, quæ centesimo quoque mense sortem exęquabat, itaùt ad finem mensis quarti, anni noni subsequentis, debitor dupplicatam sortem restituere cogeretur. Sesquialtera verò dicebatur, cum mutuans debitorem cogebat ad mutuatam sortem reddendam, & prętererea eiusdē sortis dimidium, ita vt pro duobus ex.gr. iulijs tres exoluere teneretur, pro decem, quindecim &c. Fundatur Canon in verbis Christi Domini, Lucæ 6.

Mu-

Mutuum date nihil inde ſperantes.

Can. 18. *Diaconi, quorum nulli licet Presbyteris Euchariſtiam porrigere, vel illam ante Epiſcopos attingere: poſt Presbyteros, ab Epiſcopo, vel Presbytero Euchariſtiam ſumant, & in medio Presbyterorum non ſedeant, aliter à Diaconatu deſiſtant.*

Hoc Canone prohibetur Diaconis Euchariſtiam porrigere ſolis Sacerdotibus, non verò Laicis, ſaltem nullo Presbytero præſente, quod licitũ fuiſſe Diaconis probat Cabaſutius, ex Iuſtino apol. 2. in fine, Cypr. tract. de lapſis, & ex colloquio Sixti Papæ, cum Laurentio apud Ambroſium.

Can. 19. *Paulianiſtæ ad Eccleſiam reuertentes ſunt rebaptizandi, & ab ipſis ordinati poſt probationem iterum ordinandi. Similiter & Diaconiſſæ, quæ, cum manuum impoſitionem*

cis vidua sustentatur alimentis, nisi quæ sexaginta annorum est, & maturitatem pariter morum, & ætatis. Quando Diaconissæ ordinari cœperint etiam Virgines, & ætas 60. annorum fuerit ad 40. redacta, inuenies in not.can.14.Chalcedon. Vestiebantur habitu à sæcularibus diuerso, sed viduis prohibuit omninò velamen Gelasius Papa ep.9. ad Lucanos, & Siculos.

Circa Diaconissarum ordinationem, an in ipsa fuerit adhibita impositio manuum, sub Iudice lis est. Citatur pro parte negatiua à Cabasutio not.Eccl. diss-2. sæculi 2.num.5. Em. Annalium Parens id probans ex præsenti canone, & ab eodem impugnatur duas adhibendo huic Canoni explicationes. Prima, quòd Canon Nicænus loquatur solùm de Paulianistis, permittendo, ab ipsis ordinatos viros, iterum ordinari, non autem Diaconissas, ipsas inter Laicas permanere præcipiens. Secunda, quòd Canon Nicænus excludat Diaco-

nissas, non à qualibet manuum impositione, sed à Sacramentali dumtaxat, qualis erat illa Diaconorũ. Hanc secundam explicationem amplectitur Boyuinus to.4. Theol. quadr. de Concilijs quinti sæculi, vbi explicans Concilium Arausicanum asserens Diaconissas ordinari manuum impositione, subdit: *In hoc non contradicit Concilio Nicæno, quod absolutè negat Diaconissis illam impositionem can.19. nam hæc manuũ impositio, quam præcipit Arausicanum est cæremonialis, illa verò, quam probibet Nicænum, est Sacramentalis, qualis adhibebatur in ordinatione Diaconorum.* Admitto horum DD. explicationem, sed, ni fallor, non video cur Baronius in contrarium adducatur à Cabasutio, cum ipse non neget absolutè Diaconissis impositionem manuum, sed illam quæ adhibebatur Diaconis, inquiens: *Diaconissæ non erant huiusmodi, vt sicut Diaconi manuum impositionem acciperent, vel aliquo Sacramento initiatæ essent, nam Sacrosancta*

ſanct a Nicæna Synodus, ea ex cauſá eaſdem inter Laicas adnumerat.

Vltrà has Diaconiſſas, aliæ recenſebantur Diaconiſſæ, ſicut etiã Presbyteræ, Epiſcopæ, & Subdiaconiſſæ, non quòd omnes iſtæ particulare officiũ haberent, ſed quia earum viri promoti erant ad Subdiaconatum, Diaconatum, Presbyteratum, & Epiſcopatum, vt notat Baronius cit. num. 289. eiuſque epitomator Biſciola eodem anno.

Can. 20. *Die Dominico, & Pentecoſtes diebus fideles, ſtantes Domino vota perſoluant.*

Editus eſt canon iſte contra Quartadecimanos, qui Reſurectionis Dominicæ immemores, dictis diebus æquè ac reliquis genua flectebant. Publicos pœnitentes minimè complectitur, qui ſemper genibus flexis orabant, vt ex Conc. Carthagin. probat Cabaſutius in explicatione huius Canonis.

SARDICENSES
Ordine, quo apud Bail.

Can. 1. 2. *Episcopus, si à parua Ciuitate in aliam transmigrarit laica etiam communione priuetur. Quam nec in fine vitæ recipiat, si fraudolento prætextu sedem mutauerit.*

Sedis mutationem Episcopis interdixerat Conc. Nic. c. 15. iubens eos compelli ad pristinam sedem reassumendam. Canon autem primus Sardicensis vult eos communione etiam laica priuari, & secundus addit prædictam laicam communionem eis non esse, nec in fine vitæ concedendam, si prætextus mutationis fuerit fraudolentus. Cœterùm ex graui, & ingenti necessitate, vel vtilitate, id fieri posse, prisca multorum Sanctorum exempla testantur, vt legimus inter

ter alios de Meletio Antiocheno; Et canon Apost. 14. hoc ipsum statuens, subdit: *Nisi ex rationabili causa multorum Episcoporum iudicio comprobata*. Vnde Balsamo alijque canonum interpetres differentiam obseruarunt, inter *Translationem*, *Transitionem*, & *Inuasionem*. *Translatio* dicitur illa, qua, ex causa à iudicio præsertim Episcoporum, vel Romanorum Pontificum comprobata, Episcopus aliquis transit de vna in aliam Ecclesiam proprio viduatam Pastore. *Transitio* dicitur, cum Episcopus vacans, ex Barbarorum incursu spoliatus Ecclesia sua, à multis Episcopis, vel Rom. Pont. transire compellitur in vacantem Ecclesiam. *Inuasio* autem dicitur, quandò Episcopus, auctoritate propria ad vacantem Ecclesiam transit. Et hanc abominantur Patres Sardicenses præsentibus Canonibus, *Translationem* autem, & *Transitionem* non prohibent.

Can. 3. *Episcopus, non nisi vocatus ad aliam transeat Pro-*

uinciam. Inter Episcopos discordes Episcopi Comprouinciales audiant. Si quis damnatus Pontificem Romanum appellauerit, quod ipse censuerit est obseruandum.

Prima pars huius Canonis consonat canoni 11. huius Synodi, vbi prouisum est contra Eusebianos, quibus frequentissimum erat vitium alienas Prouincias, aut Paræcias peragrandi. In altera eiusdem canonis parte iubetur admitti Episcoporum appellationem ad Apostolicam Sedem. Quod de iure diuino esse, non est ambigendum. Et probatur: Tum ex verbis Christi ad D. Petrum *Pasce oues meas*, oues enim non solum pascuntur pabulo spirituali, sed etiam temporalitèr quando defenduntur & vindicantur ab iniurijs eis allatis ab iniquis iudicibus. Tum quia appellatio ex suo conceptu est prouocatio rei facta à minori iudice ad maiorem propter grauamen

illa.

illatum, vel probabiliter inferendũ, ſed Papa eſt ſupremus omnium Iudex, Pater, Doctor, & Rector, ergo ex quolibet, ad ipſum appellationis eſt locus. Legatur Bellarminus lib.2.cap.25.& Reuerendiſs. noſter Bordonus tom.1. oper.ſacr. trib.cap.5.dub.44. num.210 & ſeq. Hanc autem fuiſſe veterem conſuetudinem antiquiſſima teſtantur exempla. Quis enim neſciat Marcionem ad Pium primum, Fortunatum, & Felicem ad Cornelium, Baſilidem ad Stephanum, Athanaſium ad Iulium Rom. Pont. appellaſſe, & quidem ante tempora Sardicenſis Concilij? Vnde patet per hunc Canonem nihil fuiſſe de nouo ſtatutum, ſed ius diuinum expoſitum, & veterem conſuetudinem confirmatam, de qua illuſtre inuenies teſtimonium apud S. Leonem Magnum epiſt. 89. ad Epiſcopos Prouinciæ Viennenſis.

Can.4. *Non priùs in Cathedram Epiſcopi depoſiti alius*

ſubſtituatur, quàm Romanus Pontifex, cauſa cognita, ſententiam tulerit.

Cauſam dedere huic canoni cõdendo Ariani, qui in locũ Athanaſij ab ipſiſmet iniuſtè depoſiti, & ad Iulium Papã appellantis, Gregoriũ Cappadocem ſubſtituerunt pendente adhuc cauſa apud Summum Pontificem.

Can. 5. *Nolente Epiſcopo alicuius Prouinciæ (ſi ſolus remanſerit) alios Epiſcopos eiuſdem Prouinciæ ordinare, & populi ad hoc conueniunt, veniant Epiſcopi ex vicina Prouincia, & illos ordinent.*

Canon iſte iuxta hanc editionem non eſt ità intelligendus, vt permanente vnico Epiſcopo in Prouincia, ipſi ſoli licuerit Epiſcopos ordinare, ſic enim opponeretur canoni Apoſt. primo, & 4. Nic. primi ſtatuentibus Epiſcopum ordinandum à duobus ſaltem, vel tribus Epiſcopis

ſcopis, ſed ſolùm, quod ad ipſum ſpectauerit Epiſcopos vicinæ Prouinciæ inuitare pro Epiſcopis ordinandis, & de Epiſcopo, hoc non faciente, legitimè dicitur, quòd noluerit ordinare, quiſquis enim ponere renuit media neceſſaria ad aliquem finem, nolle dicitur finem.

Can. 6. *Non ordinentur Epiſcopi in vicis, & Ciuitatibus paruis, ne vileſcat Epiſcopi nomen, & auctoritas.*

Huius Canonis meminit Zaccharias Pontifex ep. ad S. Bonifacium Archiepiſcopum, qui in Germaniæ partibus tres Epiſcopatus erexerat, vnum in Caſtello Vvirtzburg, alterum in Oppido Buriburg tertium in loco Erphesfurt, ipſum admonens, ne in paruis Ciuitatibus Epiſcopatus erigat, his verbis: *Meminiſſe debes chariſſime, quod ſacris Canonibus præcipimur obſeruare, vt minimè in villulas, vel modicas Ciuitates Epiſcopos ordinemus, ne vileſcat nomen Epiſcopi*. Epiſt. extat

 quo-

quoque apud Surium tom. 3. in Vita S. Bonifatij Archiepiscopi, & Martyris.

Can. 7. *Possit Romanus Pōtifex Presbyterum à latere suo mittere, vt causam illius Episcopi iudicet, qui apud suos Comprouinciales accusatus, & de gradu suo eiectus, ad ipsum confugerit, & iudicium suum renouari petierit.*

Confirmatur hìc, canon tertius de appellationibus ad Pontificem Summum, sed additur posse Papā, Legatum à Latere mittere pro caussæ decisione, vbi notanda vetustissima consuetudo Legatorum Summi Pontificis, ex quibus nostris temporibus, alij dicuntur Nati, alij Missi. Legati nati sunt, quibus, suæ dignitatis, & Ecclesiæ ratione, auctoritas Papæ committitur, & nati dicuntur, quia simul cum ipsa dignitate, eam recipiunt, cuiusmodi est, v. g. Archiep. Rhemen-

mensis in Gallia. Legati missi, sunt, qui de loco ad locum iussu Papæ procedunt ad potestatem, vel munus gerendum. Et hi alij dicuntur simpliciter missi, alij missi de Latere: Simpliciter missi dicuntur Prælati omnes, qui vel ad gubernium alicuius Prouinciæ, vel ad negotia cum Principibus peragenda mitti solent à Summo Pontifice. Legati de Latere, propriè dicuntur soli Cardinales, quia sunt veluti Pontifici incorporati, & cum mittuntur, videntur veluti de ipsius Latere euelli. Legatorum Summi Pontificis insignia sunt: vestis rubra, equus albus, frenum, & calcaria aurea, quibus vti possunt mox vbi egressi fuerint Vrbem. Potestas Legatorum attendi debet ex Breui missionis ipsorum.

Can. 8. *Episcopi ad Comitatum, idest ad Principis curiam non accedant, nisi ab Imperatore inuitati, vel pauperum, viduarum, pupillorum, & alio-*

rum miserabilium hominum, si necessitas id exposcat. Quod tamen cautè est præstandum.

Can. 9. *Imperatoris litteras, quibus ad aulam inuitantur Episcopi, ostendere teneantur, aut Metropolitano, aut Synodo Prouinciali, à quibus litteras commendatitias referant.*

Varia epistolarum genera olim fuisse in Ecclesia, testatur inter alios Baronius tom. 2. ad annum Christi 142. Ex illis dicebantur *Formatæ*, quæ dabantur à Summo Pontifice Episcopis Roma ad proprias Diœceses redeuntibus in signum vnitatis Ecclesiæ Romanæ, cum qua cœteræ omnes communicant, vt membra cum capite, & de his, quæ etiam dicebantur, *Communicatoriæ*, *Canonicæ*, & in Concil. Chalced. *Pontificales*, intelligitur S. Sixti decretum relatum in lib. Roman. Pont. *Pacificæ* appellabantur litteræ ab Episcopo recèns ordinato dari soli-

ſolitæ ad Collegas, & illæ quæ ab Epiſcopis concedebantur pauperibus peregrinantibus, quibus eorum catholica fides probaretur. Has quoque pacificas litteras mittebat Patriarcha recèns ordinatus ad reliquos Patriarchas, vt teſtatur D Gregorius Magnus lib. 7. ep. 53. qui cum primùm ad Summi Pontificatus culmen eſt euectus, pacificas miſit epiſtolas ad quatuor Patriarchas Conſtantinop. Alexandrinum Antiochenum, & Hieroſolymitanum, vt patet lib. 1 ep. 24. *Commendatitiæ*, aliæ dabantur ijs, qui in Eccleſia erant opere clariores, aliæ ab Epiſcopis, Clericis ſuis peregrinantibus, aliæ Perſonis, quę potuiſſent eſſe ſuſpectæ, ne quid de illis dubitaretur, qui enim his peregrinabatur litteris, ad menſam, hoſpitium, & communionem Eccleſiaſticam benignè ſuſcipiebantur. Et de his vltimis intelligendus can. 13. Apoſt. communione priuans ſuſcipientem Clericum, vel Laicum alienum à communio-
ne

ne suspensum absque commendatitijs litteris. His etiam commendatitijs litteris à Metropolitano, vel Prouinciali Synodo acceptis indigebant, nedùm Presbyteri, & Clerici, sed etiam Episcopi, tùm peregrini, de quibus loquitur can. 34. Apostol. tùm ad comitatum pergentes, vt ex præsenti canone satis deducitur.

Preter has erant literę *dimissoriæ* Clericis dari solitæ, vt ipsis extra Diœcesim peregrinari liceret: *Memoriales*, seu *Commonitoriæ*, quibus Legati, quid in suscepta legatione agere deberent per singula admonebantur: *Synodicæ*, quæ ad diuersos mittebantur à Synodis. *Enciclicæ*, seu *Circulares*, aut *Catholicæ*, quæ à Synodo, vel Papa mittebantur ad omnes Christi fideles, seù vniuersæ Catholicæ Ecclesiæ. *Decretales*, quibus Summi Pontifices ad diuersorum consultationes respondebant, vel, quid vitandum, quidue esset seruandum edicebant. *Pastorales* populorum continentes instru-

instructiones. *Confessoriæ*, quæ à Christianis, ob Christi nomen carceri manciparis, dari solebant ad Episcopos in commendationem lapsorum. *Tractoriæ*, quibus Episcopi vocabantur ad Synodum. *Tractatoriæ* quibus, quid de aliqua re gestum esset, Episcopi reddebant alios certiores. *Priuatæ*, quæ à Catholicis Episcopis ad hæreticos, Schismaticos, vel Paganos mittebantur, & hoc nomine vocabantur eò quòd in illis nulla licebant communicationis symbola, pacis, salutationis &c. *Paschales*, quibus die Paschatis fidelibus indicebatur. *Apostolicæ*, quæ Apostolica auctoritate à Pontificibus Summis dari consueuere, quas hodie dicimus *Breuia*.

Can. 10. *Si Romæ versetur Imperator, Episcopi illùc conuenientes, ei supplices libellos non offerant, nisi lectos, & approbatos à Pontifice Romano, aliàs, communione priuentur.*

Can. 11.

Can. 11. *Episcopi in canalibus constituti, cum progredientem Episcopum viderint, caussam transitus eius inquirant, præcipuè si ad comitatum ierit. Quod si inuenerint illùc pergere ob ambitionem, & desideria vana, nec in litteris eius se subscribant, nec illum in communionem recipiant.*

In canalibus constituti dicebantur, qui in publica via sedes habebant, quà equi publicè per stationes singulas erant dispositi. Fit mentio in Canone de litteris commendatitijs, supra explicatis, quibus etiam se subscribebant Episcopi in canalibus constituti.

Can. 12. *Moderatio necessaria est; Debet ergo Episcopus Ciuitatis ipsius admonere eum, & instruere, vt ex eo loco Diaconum mittat. Admonitus ipse tamen redeat in Parochiã suã.*

Can. 13. *Episcopus nullus ordinetur, nisi antea Lectoris, Diaconi, & Presbyteri muneribus perfunctus fuerit, vt ità per singulos gradus ascendens probetur, qua fide sit, quaue modestia, & verecundia.*

Can. 14. *Episcopo in aliena Ciuitate, & Prouincia commorari non liceat absque vrgenti necessitate vltra tres septimanas, alitèr communione priuandus.*

Can. 15. *Episcopus prædia sua curaturus à propria recedens Ecclesia, ibi vltra hebdomadas tres non commoretur. Quod si, sit proxima Ecclesia in qua sit Presbyter, ne sine Ecclesia videatur facere diem Dominicum, illuc accedat, vt neque res eius domesticæ detrimentum sustineant, & non*

fre-

frequenter veniendo ad Ciuitatem, in quo Episcopus moratur, suspicionem iactantiæ, & ambitionis euadat.

Temporibus ante præsens Concilium, vt aduertit Lupus in huius Canonis scholijs, Episcopis hospitibus maximus honor delatus fuit, vt nedùm oblatus, sed & violenter impositus sacrificandi, & concionandi locus, adeò vt vrbaniores Episcopi, tamquam suffraganei Metropolitano, Sacrificio deseruirent. Ob quod plurès Episcopi honoris cupidi persæpè alienas adibant Ecclesias, & aliquoties contemnebant Episcopum loci, quia ipso instructiores in concionibus apparebant, & doctiores. Ob hæc præfatos duos Canones edidit sancta Synodus, prohibens ne Episcopi commorarentur vltras tres hebdomadas in Ecclesijs alienis, & iubens, Episcopos in prædijs proprijs in alienis existentibus Prouincijs commorantes, die Domi-

nico

nico ad Ecclesiam viciniorem, ac ruralem accedere, ne per accessum ad Ciuitates Episcoporum darent ambitionis suspicionem.

Can. 16. *Episcopo non liceat Clericum alienum à Communione suspensum recipere, aliter sciat se conuocatis Episcopis causam esse dicturum.*

Citatum habes hunc canonem in not. c. 5. Nic. 1.

Can. 17. *Clerico, qui se iniustè ab Episcopo suo eiectum viderit, liceat interpellare Episcopos finitimos. Pendente autem causa in Communionem non recipiatur. Quod si appellationem iniustam esse constiterit, seuerioribus castigetur verbis, vt obediat proprio Episcopo iusta præcipienti.*

Can. 18. 19. *Nulli Episcopo liceat alterius Episcopi Ciuitatis Ministrum Ecclesiasticum solli-*

citare

citare, & in suis Parochijs ordinare, aliter irrita maneat ordinatio.

Irrita dicitur ordinatio præfata, non quia inualida, sed quia ob depositionis pœnam licitè ad actū non reducibilis.

Can. 20. *Quoniam ad Tessalonicensium Ciuitatem, sæpè ex alijs Regionibus confluunt Presbyteri, & Diaconi, & non sunt contenti breui tempore morari: ea tempora, quæ canonibus superioribus circa Episcopos sunt constituta, circa has personas etiam obseruentur.*

Can. 21. *Episcopus iniustè eiectus è propria sede, non prohibeatur in aliena Ciuitate morari, quamdiù aut redire possit, aut iniuria eius, remedium receperit.*

PRO-

PROPOSITIONES CONTROVERTIBILES.

PRima: Præſides huius Concilij fuerunt, Summi Pontificis Silueſtri Legati, nō Conſtantinus Imperator, vt ſomniarunt hæretici. Conſtantinus enim adfuit, non vt præſideret, *ſed* (vt verbis vtar Theodoreti lib. 1. c. 6. hiſt. Eccleſ.) *partim, vt multitudinem Epiſcoporum, adſpiceret, partim vt pacem inter illos conciliaret*. Idque non ex propria auctoritate, *ſed ex Sacerdotum ſententia factum eſſe*, refert Ruffinus lib. 10. Eccl. hiſtor. c. 1.

Colligitur inſuper Conſtantinū, Præſidem non fuiſſe, ex verbis illis, quibus Epiſcopos eſt alloquutus, cum querimoniarum libellos ſibi cōtra ipſos oblatos comburi iuſſit: *Deus*, inquiens, *Vos conſtituit ſacerdotes, & poteſtatem dedit Vobis, de Nobis quoque iudicandi, & ideò Nos à Vobis rectè iudicamur, Vos autem*

non

non poteſtis ab hominibus iudicari. Accedit D. Ambroſij auctoritas, qui ep. ad Valentinianum Imperat. ord. 13. hæc habet. *Si conferendum de fide, ſacerdotum eſſe debet iſta collatio, ſicut factum eſt ſub Conſtantino Auguſtæ memoriæ Principe qui nullas leges ante præmiſit, ſed liberum dedit iudicium ſacerdotibus.* Denique Præſides huius Concilij fuiſſe D. Silueſtri Legatos Hoſium Epiſcopum, Victorem, & Vincentium Presbyteros, patet, tum quia hi tres primi in Concilio ſubſcripſere, Conſtantinus è contra vltimo loco Tum quia D. Athanaſius Hoſium vocat *Principem Synodorum.* inquit enim ep. ad ſolit. *Hic eſt Princeps Synodorum, & ſi quid ſcribit, vbique auditur &c.* Vnde neſcio cur aliqui numerent inter Legatos huius Concilij Victorem, & Vincentium, Hoſium relinquendo. Tum denique quia Photius Romanæ Sedis aliàs ſatis iniquus lib. de 7 Synodis fatetur Silueſtrum per ſuos Legatos auctoritatem Nicæno Concil. con-

contulisse, vt inter alios refert Vitus Erbermannus tom. 2. Bellar. vind. cap. 4.

Dicta abundè ostendunt præsens Concilium tempore D. Siluestri celebratum fuisse, ac propterea fuisse omninò deceptum Hermiam Sozomenum lib. 1. cap. 16. illud asserentem fuisse celebratum sub Iulio Papa, & erroris causa inter alias potuit esse, quia Sardicense Concilium, quod fuit celebratum sub Iulio, vtpotè Nicæni appendix, Nicæni nomine à priscis appellabatur, vt videbimus proposit. 3. nihilominùs abs re non erit contra ipsum adducere Hincmarum Remensem ep. 33. cap. 2. contra Episcopum Laudunensem, sic alloquẽtem. *Refutanda est falsa opinio de quorundam scriptis exorta, quod Nicænum Concilium tempore Iulij fuerit celebratum. Cum constet eandem anctam Synodum fuisse habitam temspore Syluestri Papa, sicut veridica Chronica, & Ecclesiastica historia produnt.* Quoad conuocationem

Con-

Cōcilij, ipsā factā fuisse de S. Siluestri cōsensu satis colligitur ex verbis tum 6. Synodi generalis act. 18. *Arius diuisor, & partitor Trinitatis insurgebat, & continuò Constantinus semper Augustus, & Siluester laudabilis, magnam atque insignem in Nicæa Synodum congregabant*. Tum Ruffini lib. 1. hist. Eccl. c. 1. dicentis; *Ille*, Constantinus, *ex sacerdotum sententia apud vrbem Nicœam Episcopale Concilium conuocat*. Si enim ex Sacerdotum sententia, potissimùm ex sententia maximi Sacerdotis Siluestri, quem vnicè colebat, & Hosij Cordubensis; cuius signum est, quòd redeunte Hosio ex Legatione Romana, qua fungebatur statim à Constantino Nicænum cogi cœpit Concilium. Accedit Pontificale Romanum sub nomine Damasi, in quo dicitur, consensu Siluestri habitum fuisse Nicænum Concilium.

Secunda; Plures, quàm 20. Canones in Nicæno Concilio constituti fuere, Probant aliqui assertionem

tionem tùm ex D. Athanasio, qui in ep. ad Marcum Papam testatur, quòd: *Canones illius Concilij prima vice fuerunt 80, sed sanctis 318. Patribus Concilij visum est congruum eos reducere ad numerum 70. in memoriam 70. Discipulorum.* Tùm ex Iulio Papa, qui in ep. 22. quæ est in tom. primo Concil. vltra 20 qui nunc extant, alios 24. Canones numerat. Tùm ex Turriano, qui testatur 80. Nicænos Canones Arabica lingua conscriptos, inuentos, se latinitate donasse, quorum Canonum originale allatū ad Pium quartum Papā, in Bibliotheca Vaticana seruari ait Em. Brancatus initio epit. canon. notab. 4. Sed quoniam hæc sunt valdè dubia, in assertionis probationem minimè adducimus, sed cum Em. Baronio tom. 3. anno Christi 325. num. 181. litt. D. alijs differenda relinquimus.

Scio equidem post Baronium nouissimè Boyuinū tom. 4. Theol. ad Nic. verisimilius censere, Cano-

 nes

nes Nicænos, 80. fuisse à Turriano cit. ex Arabica lingua traductos, eò quòd Abrahamus Echellensis Religione Maronita, in libro, quem Romæ edidit de Rom. Pont. primatu, affirmet talem numerum seruari apud omnes Orientales etiã schismaticos, & hæreticos, quales sunt Melchitæ, Cophti, Armæni, Nestoriani, Iacobitæ &c. Non est autem credibile tot hæreticos & schismaticos Religione linguaque diuersos in vnum conspirasse, vt octoginta Canones confingerent Concilij Nicæni, quorum plures Pontifici fauent, quem tantoperè auersantur. Hæc ille. Sed contra ipsum stat inter alios Cabasutius, qui in diatr. can. Nic. num. 8. probat nonnullos Arabicos Canones aduersari viginti Canonibus indubitatis Nicænis, adducens inter alia exemplum Arabici 36. quo subijcitur Episcopus Aethiopicus Alexandrino, cui tamen Nicæni Patres iurisdictionem intra Aegypti, Libyæ & Pentapo-

lis

lis fines limitant. His igitur prætermissis, assertionem:

Probamus primò auct. D. Ambr. qui ep. ad Vercell. Eccles. quæ est in lib. 3. epist. testatur: *Non solùm Apostolum de Episcopo & Presbytero statuisse, sed etiam Patres Concilij Nicæni tractatus addidisse, neque Clericum, quemquam debere esse, qui secunda coniugia sortitus sit.* Secundò auctoritate S. Gregorij Turonensis Episcopi, qui lib. 9. c. 33. adducit Nicænum Canonem dicentem Anathema mulieri, intrandæ religionis pætextu, relinquenti virum. Tertiò auctoritate S. Petri Damiani, qui lib. 5. Epist. 13. ad Capell. Gothifredi Ducis, Canonẽ à 20. diuersum citat his verbis: *In Nicæno etiam Concilio dicitur: Innuptis autem, qui ad Clerum prouecti sunt, præcipimus, vt si voluerint, vxores accipiant, sed Lectores Cantoresq; tantũmodò.* Quartò auctoritate Theodereti, Canonẽ de appell. ad Apostolicam Sedem ante Sardicense Concilium adducentis lib. 2.

c. 15. verbis illis: *ille*, hoc est, Iulius Papa, qui D Athanasium eiusque aduersarios ad suum tribunal vocauit: *Ecclesiæ Canonem sequutus*, *& eos iussit Romam venire*, *& diuinum Athanasium*, *quò pro se in iudicio ipse responderet*, *vocauit*. Ob has & similes auctoritates à nobis breuitatis ergo relictas, citat Baronius scriptor accuratissimus certam adeò censet assertionem, vt illam negantem perfrictæ frontis hominem appellare non dubitet. Nos verò illam intra probabilitatis limites propugnamus, cum post Baronium oppositã tueantur Christianus Lupus parte prima synod. &c. fol. 110. & Emanuel à Schelstrate p. 2. antiq. illus. fol. 285. innuentes non paucas auctoritates in contrarium, Concilij Carthag. 6., Ruffini Aquileiensis presb. lib. 1. c. 22. Gelasij Ciziceni, & aliorum. Et respondentes ad D. Ambrosium ipsum, aiunt, se explicare, cum inquit non Canone, sed tractatu stabilitam in Nicæno Bigamo-

morum irregularitatem. Ad D. Gregorium Turonenſem ipſum fuiſſe hallucinatum. Ad Zoſimum & Theodoretum, non Canonem ſed conſuetudinem approbatam in Nicæno Concilio fuiſſe illam de appell; ad Apoſt. Sedem. S. Petrum Damianum non adducit Lupus, ſed poſt ipſum affert Natalis Alex. diſſ. 18. ſæc. 4. reſpondens: *S. Petrum Damiani ſpectaſſe Canonem tertium, quo ſancit Nicæna Synodus non licere alicui, qui in Clero eſt, ſubintroductam habere mulierem: quamuis Canonis illius ſenſum vir ſanctus aſſecutus non fuerit.*

Sed ſi auctoritates contrariæ intelligi poſſent, (vt poſſe cenſeo, cum conſtet Nicæni Concilij acta quatuor Euang. volumen excedentia, concremata ab Arianis fuiſſe) de Canonibus Nicænis, qui pro certis & indubijs ſunt amplectendi, & 20. numero non excludi alios Canones conditos in Nicæno, ſed illos ſolos, qui hæreticorum malitia circumferebantur Concilij Ni-

cæni nomine, vel ſaltem poterant circumferri: vel ſi dici poſſet, Canones Nicænos quo ad numerum non fuiſſe pluſquam 20, qui extant, ſed ſolummodo quo ad decreta, adeòque nonnullas ipſorum partes fuiſſe deperditas, ſic dicendum videtur, cum ex vna parte non ſine fundamento conciliari ſic poſſent auctoritates hinc inde adducibiles, & ex altera non appareant rationes tanti ponderis, vt Theodoretum Canonis nomine ſolam conſuetudinem intellexiſſe, S. verò Gregorium hallucinatum, Iſidorum & Cardinalem Baronium parum accuratos fuiſſe, facilemque in apocrypha Gratianum, aſſerere debeamus; præſertim cum ex notis Canonis ſexti habeamus, ipſi addenda eſſe verba nonnulla ex Chalcedonenſi Concilio, quod non improbabile reddit, Canones alios ſimilem paſſos fuiſſe iacturam.

Omittere autem hìc non debeo Natalem in explicatione S. Petri Damiani ſatis oſtendere, ſe animo non

non inquirendæ veritatis, ſed veteres impugnandi, Hiſtoriæ Eccl. ſtructuram aggreſſum fuiſse. Quis enim non videt explicationem dictam, vanam prorsùs eſse & ridiculam? Dicit Natalis, *S Petrum Damiani ſpectaſſe canonem tertium.* Peto, cur tertium potiùs, quàm quartum aut alium quempiam, cum S. Damiani dictum a tertio æquè ac à reliquis ſit alienum? ſiquidèm canon tertius negatiuus eſt, canon citatus à Damiano affirmatiuus, ille prohibet mulierem ſub introductam habere, hic permittit Clericis vxores accipere, ille loquitur de Epiſcopis, Presbyteris, Diaconis ac reliquis Clericis, hic de ſolis Cantoribus, & Lectoribus. In illo denique excipiuntur Mater, Soror, Amita &c. In iſto, exceptio dicta inepta prorsùs eſſet & futilis. Qua igitur fronte Natalis, hebetis adeò ingenij Sanctum Cardinalem ſupponit, vt ipſum citatis verbis ſpectaſse Canonem tertium aſſerere non dubitauerit?

Tertia: Concilium Sardicense, celebratum sub Iulio Pontifice, est Niceni appendix, dicendum. Propositio hæc est firmiter tenenda, non quia in Concilio Sardicensi non fuerint omnes conditiones necessariæ, vt se solo œcumenicum dici possit, fuit enim indictum à Iulio Papa, fuere Præsidentes, Hosius, qui primus omnium subscripsit, Archidamus, & Philoxenus presbyteri, quos vt Legatos citat D. Athanasius scribens ad solitarios, fuit pertractata Fidei materia, confirmatum Symbolum Fidei conditũ in Nicæno, & conditi fuere Canones ab omni sub Cælo Ecclesia recepti: Nec quia Cōciliũ hoc, partim approbatum fuerit partim reprobatum, vt sẽtire videtur Bellarminus lib. 1. de Concil. cap. 7. motus quia Episcopi Orientales fidem Arianam sequuti fuerint. Vt enim aduertit Reuerẽdiss. noster Bordon tom. 1-S. Trib. c. 6. de Conc. n. 15. sectatores Arianæ hæresis eum à Concilio recesserint, nihil

in

in eo per ipſos actum eſt, vt ex eorum parte Concilium dici debeat reprobatum; Aliter partim reprobatum dici deberet Concilium Epheſinum, cui non ſubſcripſere Ioannes Antiochenus cum ſuis, niſi poſt annum à diſsolutione Concilij, & Lateranenſe quintum, à quo abfuerunt omnes Epiſcopi Galliæ ob Piſanum Conciliabulum quod fouebat Rex Galliæ, æquè enim in Sardicenſi, ac in iſtis, omnes Epiſcopi vocati fuere, & æquali obſtinatione, imò maiori, Ariani à Sardicenſi Concilio receſſerunt Pſeudoſynodum celebrantes, ac Ioannes cum ſuis, Epheſino, Galli verò Lateranenſi quinto, intereſſe noluerint, vtrique Pſeudoſynodum celebrando.

Ratio igitur cur Sardicenſe Concilium Nicæni appendix dici debeat, eſt, quia, cum in rebus Eccleſiaſticis præcipuè attendi debeat S.S. P.P. auctoritas, & vſus loquendi, cumq; Canones Sardicenſes à S. Leone, & S. *Z*oſimo Sum-

mis Pontificibus, alijsque Sanctis P.P. & Scriptoribus sæpissimè Canones Nicæni appellentur; cumque S. Gregorius Papa quatuor dixerit, non quinque prima Concilia Generalia, vt quatuor Christi Euangelia veneranda, signum euidens, quòd apùd ipsum Sardicense Concilium vt à Nicæno distinctum connumeratum non fuerit, nec Nos, vt à Nicæno distinctum connumerare debemus, præsertim cũ idem omninò argumentum fuerit agitatum, ijdem Patres magna ex parte interfuerint, idemque Hosius in vtroque præsederit: Quibus accedit, in archiuijs Rom. Eccl. vtramque Synodum vnum constituere corpus, & vetustissimum codicem Canonum, quo vtebatur S. R. Ecclesia sub vnico Concilij Nicæni titulo Nicænos & Sardicenses omnes vnà Canones comprehendere vt optimè viri docti compererunt. Adde non deesse plerosque, qui Canones Sardicenses meritò Nicæ-
nos

nos dici censeant, eò quòd aliqui ex ipsis verè conditi in Nicæno Concilio, sed suppressi ac expuncti ab Arianis, in Sardicensi fuerint restituti. Quod nedùm præsentem propositionem, sed & præcedentem de numero Canonum Nicænorum confirmat, & roborat,

Hucusque dictis se opponit Edmundus Richerius, & primò quidèm contendit Nicænum Concilium conuocatum fuisse non à Siluestro, sed à Constantino, sed perperàm, quia cum ipse fateatur lib. 2. c. 2. Constantinum non nisi de S. Siluestri consensu indixisse Concilium: *Vltrò ego annuo, Siluestri atque aliorum consilio, & suasione Constantinum ad Synodi indictionem incensum, atque totum hoc negotium de consensu, & sententia Siluestri, atque aliorum Metropolitanorum confectum.* Nescio in quo à nostra, Baronij, Bellarmini, & omnium Catholicorum sententia differat; Totus quidem ipse insistit in assignanda distinctione *consensus*, ab

authoritate & illum quidem aſserit ſpectare ad Pontificem, hanc verò in Cæſare reſidere. Sed decipitur, licet enim abſolutè idem non ſit *auctoritas* ac *conſenſus*, idem nihilominùs eſt conſenſum præbere ad Concilij indictionem, ac Concilium per aliū indicere, ſi conſenſus ille, eſt Perſonæ ad quā ſpectet conuocare Concilium. Cum igitur ad ſummum Pontificem ſpectet conuocare Concilium, & S. Silueſter conſenſum præſtiterit, pro conuocatione Nicæni, non eſt cur Concilium Nicænum authoritate *S.* Silueſtri indictum dici non debeat, ac proïndè nimis temerarium ſe prodit citatus Author, cum aſſerit: *Baronius, Seuerinus Binius .... valdè anhelant, vt demōſtrent Synodū Nicænam auctoritate Silueſtri Papæ indictam, nihilque præter vanos conatus venditant*. Nec ipſe, ſi duplicem diſtinxiſset authoritatis ſpeciem, ſpiritualem videlicèt & temporalem, dixiſset abſolutè quòd authoritas in ſolo Principe

Po-

Politico resideat. Nec precise per hoc, quod, *illis temporibus Episcopi Romani neque territorium, neque ius gladij possiderent*, intulisset: *Concilia eorum authoritate indici non poterant*. Omitto plura, quæ ipse congerit contra rationes, ob quas ait Bellarminus Imperatores prima Concilia indixisse, vt potè inutilia, & nec quidèm probabilitatis vmbram habentia.

Contendit secundò nedùm Conuocationem, sed etiam, *Præsidentiam Concilij Nicæni ab Constantini Magni auctoritate dependisse*. Probans id ex 11. quæst. 1. can. *continua* §. *Constantinus Imperator Præsidens in sancta Synodo, quæ apud Nicæam congregata erat, cum querelam quorumdam conspiceret coram se delatam ait: Vos à nemine diiudicari potestis, qui ad Dei solius iudicium reseruamini.* Et ex can. *futuram* 12. quæst 1. §. *Idem verò Præsidens in sancta Synodo apud Nicæam congregata* &c.

Sed reuerà nihil euincit. Tripliciter enim potest dici aliquis

Con-

Concilij Præsidens, nempè Præsidentia honoraria, seu loci, cum scilicèt supremum in Concilio obtinet locum, & hanc licet spontè à Patribus oblatam, non admisisse pijssimum Constantinum, testatur Euagrius in eius vita. Secundò, Præsidentia ad condendas leges Ecclesiasticas, causas Episcoporum examinandas, Conciliorum confirmanda decreta &c. Et hanc, quæ est vera & propria Præsidentia, de qua loquimur, Constantino concedi nullatenus posse, satis superque probauimus supra, & fateri tenetur Richerius, qui in prima, quam pro se adducit, authoritate, refert pijssimam Imperatoris responsionem ad libellos sibi contra Episcopos oblatos, qua Imperator vltrò concedit ad se non spectare Ecclesiasticarum causarum iudicium. Tertiò, Præsidentia ad compescendos tumultus, & omnia reddenda pacata, & hæc, de qua explicandæ sunt authoritates adductæ à Richerio, Constantino, negari

gari

gari nullatenùs potest, cum ipsemet in sua Epistola relata tum ab Eusebio, tum à Nicephoro & alijs scribat, se studuisse, vt omnia diligenter examinarentur, immò & disputasse, modò vnam partem, modò alteram agendo, inhibendo quorumdam vanas voces &c.

Contendit tertiò Sardicense Concilium, œcumenicum non fuisse primò *propter decessionem Episcoporum Orientalium qui cum Occidentalibus in colloquium venire recusauerant.* Et post pauca: *Non moris erat ea Concilia pro œcumenicis habere, nisi omnes Episcopi cùm Catholici, tùm Ariani inter sese conuenissent &c.* Sed nos huic obiectioni satisfecimus supra, probando contra Bellarminum, Concilium Sardicense nec quidèm partim reprobatum dici debere propter Arianorum discessum, multò minùs pænitus reprobatum. Aliter sequeretur numquam Concilium generale contra hæreticos fieri posse, præcisè per hoc quod hæretici, licèt

ad

ad Concilium vocati, interesse recusent, quod absurdissimum esse, quis non videt? Secundò id probat eò quia Africani Patres Sardicense Concilium non agnouerint. Ad quod etiam nos respondimus supra, assignando præfatæ ignorantiæ causam, in fine not. hist.

Nobis etiam se opponit Natalis Alexāder diss. 26. sæc. 4. in eo, quod superiùs dictum est, Surdicēse Concilium indictum fuisse à Iulio Papa, adducens complures authoritates, Athanasij, Socratis, Theodoreti, Sozomeni, Seueri Sulpitij & Nicephori affirmantium Synodum conuocatam fuisse à Constante & Constantio Imperatoribus. Sed authoritates istæ assertionem nostram non tangunt, fatemur enim Synodum hanc ab Imperatoribus conuocatā fuisse, solùmq; id Imperatores non fecisse absq; Pontificis summi consensu contendimus, &

Mouemur ex Athanasio, qui in ep. ad solitarios ait: *Episcopus Romanus Iulius Synodum iussit fieri*

vbi

vbicumque vellemus, vt tutò & crimina obyccrent, & inuicem sibi obiecta refutarent, id enim eorum Legati, cum se vinci animaduerterent, postularunt. Respondet Natalis prædicta verba referenda esse ad Synodum Romanam, Nosque aliter intelligentes hallucinari, quod colligit ex contextu: *Athanasius priusquam ista fierent, semel re cognita Romam profectus est, non ignarus hæretici furoris. Iulius verò Presbyteros suos Elpidium, & Philoxenum, cum litteris ad Eusebianos misit, certum diem definiens, vt aut præsentes se sisterent, aut cognoscerent se omnibus modis suspectos haberi.*

Sed reuerà hallucinatur Natalis, si enim Iulius vocauit Athanasium ad Romanam Synodum determinatè, quomodo *iussit Synodum fieri vbicumque vellemus?* Siquidem inter se nō cohærent Synodi locum determinare, liberumque relinquere. Nec contextus aliquid in contrarium probat, sed nobis fauet: Non enim inquit simpliciter: *Atha-*

Athanasius Romam profectus est: Sed: *priusquam ista fierent, Romam profectus est*: Retulerat autem voluntatem Pontificis annuentis Legatis Arianorum petentibus loci securitatem, vt vbicumque vellent Concilium celebrarent. Item, quod victi fuerant *in Ecclesiastico confessu* Tandem quod sic vbique deuicti cum Imperatore egerunt vt armata manu Sedem Alexandrinam occuparet Gregorius, ergo indictio Synodi factæ à Iulio fuit post accessum Athanasij Romam, non igitur fuit indictio Concilij Romani. Sed dicendum omninò videtur Iulium Indixisse priùs Concilium Romanũ, ad quod cum ire renuissent Eusebiani eò quòd *se vinci animaduerterent*, Iulius liberam dedit facultatem celebrandi generale Concilium vbi placuisset, vt hæretici qui Romam venire ausi non fuerant, *eò quòd se vinci animaduerterent*, ad Generale Cõciliũ accederent *vt tutò & crimina obycerent, & inuicē sibi obiecta refutarent*, ideò que


que etiam ſic peſſimè ſibi contigiſſe perſpicientes, aliud medium quæſierunt: *Rebus igitur inceptis,* ait Athanaſius, *cum male ſibi vbique* (nota illud, *vbique* quod reſpondet decreto Pontificio *vbicumque vellent*) *vt conſcij de cauſa ſua in Eccleſiaſtico conſeſſu deſperarent, Conſtantium cum lamentis vt hæreſeos propugnatorem adeunt &c.*

Totum hoc congruit ijs, quæ habet idem D. Athanaſius, apol. ad Conſtantium, ſe videlicèt Roma a Conſtante vocatum comperiſſe, *quoſdam Epiſcopos, qui eò profecti erant, precibus ab eo poſtulaſſe, vt Tuæ Pietati de Synodo facienda ſcriberet.* Signum non leue Iulium poſt Romanam Synodum miſiſſe Legatos ad Conſtantem pro Synodo conuocanda vbicumque vellet, & Conſtantem poſt litteras miſſas ad Conſtantium, Sardicę conuocandum determinaſſe Concilium vt potè tutiſſimum locum, & omnibus vtriuſque partis Epiſcopis percommodum.

IO.

LOCA LIBRORVM, In quibus tractatur de discussis in hac Synodo.

IOannes Dartis comm. in decr. Gratiani p. 1. d. 15. & 16. fol. mihi 53. Franciscus Longo, Cabbasutius, Christianus Lupus ad Nicæn. & Sard. Hist. tripar. lib. 2. cap. 5. Baron. ann. 325. num. 57. D. Aug. ep. 118. Gelasius Cyzicenus in comm. Actor. Nicæni Concilij Interprete Roberto Balforeo Scoto lib. 2. cap. 12. & lib. 3 cap. 31. Bayl. summa Concil. ad Nicænum. Bellarm. tom. 1. controu. lib. 1. de Christo cap. 4. D. Ambrosius ep. 32. Theodoretus in Ecclef. histor. lib. 2. cap. 6.




CON-

CONCILIVM CONSTANTINOPOL. PRIMVM.

Celebratũ Anno Christi 381.
Tempore D. Damasi Summi Pontificis.
Regnante Theodosio Seniore Imperatore.
Pro substinenda præsertim contra Macedoniũ & Apolinarem diuinitate Spiritus Sancti.
Conuentibus Episcopis 150.

SVMMARIA CONSTANT. Concilij Historia.



ONCILIVM hoc Romano Constantinopolitanum dici posset vt potè ex Romano & Constantinopolitano coalescens. Ipsi præbuit occasionem

Mace-

Macedonius Episcopus Constantinop. qui contra Arium, Filium Dei consubstantialem Patri cognoscens, iuxta D.Leonem serm.4. de Natiu. cap. 5. peccauit in Spiritum S. eum, seruum ac creaturam appellans. In quam hæresim, vt populos adduceret, Spiritus Sancti gratia pænitus destitutus, tormentis est vsus, cumque per illa parùm aut nihil proficeret, per suos Ministros ligno ora populorum aperiens illis Sacramenta inferebat, vt in hist. trip. Ante Macedonium fuere Diocletiani, & Maximiani, dicti, Hæretici abstinentes, eò quòd publicè & cum alijs minimè manducabant, qui Spiritum Sanctum Deum esse negarunt. Fuit deinde Vrbicus Portenticus Spiritum Sanctum esse asserens vel Patrem, vel Filium, vel Creaturam: Vrbico adhæsit Lactantius putans Spiritum Sanctum non esse Personam à Patre Filioq; distinctam, Origenes Spiritum S. asserens Creaturam alijque non pauci.

Ad

Ad huiusmodi igitur hæresim profligandam Theodosius senio Anno 381. de consensu Damasi Papæ, Oecumenicum, & vniuersale Concilium Constantinopolis celebrandum indixit, ibique congregatis 150. Episcopis Orientalibus, inter quos erant, Timotheus Episcopus Alexandrinus, Meletius Antiochenus, Cyrillus Hierosolymitanus. Damasus Papa cui erat in animo Romæ Concilium celebrare, vt propria præsentia auspice feliciùs prosequi potuisset, Romam Orientales vocauit, sed hi per Synodicas litteras ob grauissima impedimenta sese excusarunt, missis Romam de suo cætu tribus Episcopis, Cyriaco, Eusebio, & Prisciano.

Excusationes Orientalium admisit Pontifex, & animo se & Orientales coniungens cum Occidentalibus, Romanum Concilium celebrauit, in ipso reprobans Ariminense Conciliabulum à Liberio Papa priùs damnatum, & anathemate

mate percutiens Macedonium, & Apollinarem eorumque Asseclas. Misit deinde Constantinopolim libellum, ea continens, quæ in Romano Concilio sancita fuerant, vt Occidẽtales, illis Fidei definitionibus se subscribentes, Concilium Oecumenicum iure appellaretur. Quod & Orientales fecere, cognoscentes pariter & vnanimiter recipientes Nicænum Fidei symbolum. In quo cum parciùs actum esset de Sancti Spiritus Diuinitate, placuit Sanctæ Synodo pauca addere, videlicet *Et in Spiritum Sanctum, Dominum, & viuificatorem ex Patre procedentem cum Patre & Filio coadorandum & conglorificandum, qui locutus est per Prophætas.*

Nedùm autem in Constantinopolitano Concilio, Fides Catholica contra Macedonianos fuit stabilita, sed etiam agitata Constantinopolitani Episcopi controuersia: Collocato etenim in illa Sede summo omnium consensu & plausu, D. Greg. Naz., mox flagitiosorum homi-

hominum ſtudio, ſuffectus eſt in Thronum Maximus Cynicus Philoſophus, adnitente Petro Alexandrino, qui antea eiuſdem Gregorij tuebatur partes, vndè ortum Schiſma grauiſſimum in Imperiali Vrbe, Populo in duas partes diuiſo. Patres ergo in Concilio, Maximi electionem reprobarunt, cõfirmato Gregorio, licet ipſe poſtea obtumultus varios excitatos à factione Maximi, quæ multos Patres, vtpotè è vulgi fæce ad Epiſcopatum ab Arianis iam olim euectos, traxerat, spontè pro bono pacis in ipſo Concilio ceſſerit Epiſcopatu, ſubſtituto à Patribus in eius locum Nectario, nondùm Chriſtiano, ſed dumtaxat Cathecumeno. *Huic* renunciationi cauſam quoque dedit Timotheus Alexandrinus, qui poſt factam Gregorij confirmationem ad Concilium perueniens cum ſuis Epiſcopis, arrepto Seditioſorum motiuo, queſtus eſt, quòd non expectato Antiſtite Alexandrino, perperàm confirma-

tus fuisset Gregorius, vt potè ex alijs Sedibus, Sasimorum videlicet & Nazianzi, in Constantinopolitanam, contra Canones Sanctorum Patrum, translatus: cui querelæ acquiescentes Græci, promotionem Gregorij irritam esse pronunciarunt. Admiranda est autem hìc singularis Gregorij constantia, & humilitas, qui huiusmodi Episcoporum tumultum & dissensionem prospiciens, nullam pro se rationem adduxit, cum sanè multas adducere potuisset, quòd nempè, licèt fuisset Sasimorum Episcopus creatus, Ecclesiam tamen illam, eodem reliquerat die, nec vno oblato in ea sacrificio, vt habet in eius vita Gregorius Presbyter: quòd Nazianzenam Ecclesiam rexisset, non vt Episcopus, sed vt Procurator senis sui Patris: & denique quòd per Canones prohibita erat solùm translatio de minori ad maiorem Episcopatum ambitiosè facta, non verò ex causa à multis Episcopis comprobata, nihi-

nihilominùs nihil horum in sui fauorem producens, se, vt diximus, libenter à Constantinopolitana sede abdicauit, proferens insignia illa verba: *Si vobis vllo modo causa dissidij sum, Ionam Prophetam integritate vitæ non supero, proijcite me in mare, & tumultuum tempestate agitari desinetis.*

Alia itidem eorundem tumultuum causa fuit, quòd Meletius Antiochenus, qui in sua sede socium habebat Paulinum, morte imminente, Concilij Patres enixè est deprecatus, vt post obitum suum, nullum alium Antiochænæ Ecclesiæ præficiendum curarent, sed socio suo Paulino illam vnicè gubernandam relinquerent, ne duo Episcopi haberentur ciuitatis eiusdem. Meletio è viuis sublato Nazianzenus operam omnem impendit, vt solus Paulinus relinqueretur Episcopus Antiochenus, sed quia Paulinus Græcis infensus erat, Nazianzenum exosum habere cæperunt, & Ecclesiæ Antio-

chenæ gubernandæ præficientes: Flauianum, facilè dein acquieuere querelæ Timothei Episcopi Alexandrini.

MACEDONII RATIONES Contra Diuinitatem Spiritus Sancti.

PRima deducta ex eo, quòd in Scripturis nusquam Deus, dicatur Spiritus S. his alijsque similibus verbis refertur à Nazianzeno initio orat. 37. *Sed de Spiritu Sancto, inquiunt, quid dixeris? Vndè nobis peregrinum Deum, nulloque scripturæ loco proditum introduci*?

Secunda fundatur in aliquibus Scripturæ auctoritatibus, quæ Spiritui Sancto diuinitatem negare videntur: Amos 4. *Ego Dominus formans tonitruum, & creans spiritum*: Quod autem creatur Deus esse non potest. Ioann. 1. *omnia per ipsum facta sunt*, ergo & Spiritus S. Ioan. 17. *Vt cognoscant te olum Deum verum & quem misisti*

Iesum

Iesum Christum, nec subditur Spiritus S. ad Ro. 8. 26. *Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*: Qui autem postulat inferior est eo, à quo postulat, & gemens postulat. Ioan. 16. Spiritus Sanctus *non loquetur à semetipso*; ergo non est Deus.

Tertia: Spiritus S. est tertius ordine Personarum & numero, igitur ignobilis, adeòque non Deus. Tum quia communicatio Naturæ diuinæ fieri non potest, nisi per generationem: atqui per generationem communicari non potest Spiritui Sancto, ergo &c.

RATIONES CONCILII
Contra Macedonium.

PRima: Matth. vltimo: *Baptizantes in nomine patris, & Filij & Spiritus Sancti*. Ex quo & similibus locis duo confici possunt argumenta pro Diuinitate Spiritus Sancti. Primum est D. Greg. Nazianz. cit. his verbis: Si Spiritus S.

adorandus non est, quomodò me Deum per Baptismum efficit? intellige per participationem: *si porrò venerandus, an non Deus?* Secundum colligitur, quia si in S. Scriptura solus Spiritus S. Patri Filioque connumeratur, cum nefas videatur illis creaturam connumerare, Spiritus S. non creatura dicendus, ſed Deus. Ep. 1. ad Cor. cap. 6. *An nescitis, quoniam membra vestra, templum sunt* Spiritus S., *qui in vobis est?* moxque subdit: *Glorificate & portate Deum in corpore vestro* En. D. Aug. argumentum initio ep. 66. *Quem Deum, nisi Spiritum Sanctum? Nam si Templum ei facere de lignis & lapidibus deberemus, vtique faciendo Templum latriam exhiberi conuinceremur, quanto magis latriam debemus, cui non Templum facimus, ſed sumus?* & lib. 1. contra Maximinum circa medium, idem argumentum efformat: *Noli negare Deum esse Spiritum Sanctum ne templa creaturæ facias membra Creatoris*. Epist. 2. ad Thessal. 3. *Dominus*

minus dirigat corda, & corpora nostra in charitate Dei & patientia Christi: Audiamus Athanasium pro Diuinitate Spiritus S. sic arguentem in disp. contra Arium habita in Nic. Concil. *Quemnam Dominũ hic appellari putas? Patrẽ, an Spiritum Sanctum? nam Christum expressè recensuit. Si enim primo loco Patrem hìc constituas, Deus est Spiritus. Sin Spiritum primo loco nominatum confiteris, necessè est vt eum Dominum quoque concedas. Quòd si Dominus est, nimirùm & Deus quoque habendus erit, scriptum est enim: Ego sum Dominus Deus tuus.*

Secunda: Spiritui S. tribuuntur in sacris litteris opera, quæ puræ creaturæ competere nequeunt: Tribuitur enim ipsi, Creatio Ps. 32. *Verbo Domini cæli firmati sunt, & Spiritu oris eius omnis virtus eorum* Iob. 33. *Spiritus Dei fecit me* & Ps. 103. *Emitte Spiritum tuum, & creabuntur*. Viuificatio & suscitatio mortuorum, Rom. 4. *si autem*

Spiritus eius, qui ſuſcitauit Chriſtum à mortuis, habitat in vobis, viuificabit mortalia corpora veſtra per Spiritum S. habitantem in vobis. Ioan. 6. *ſpiritus eſt, qui viuificat.* Peccatorum iuſtificatio. 1. Corinth. 6. *Iuſtificati eſtis in nomine Domini Ieſu Chriſti, & in Spiritu Dei noſtri.* Rom. 8. *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum S. qui datus eſt nobis.* Ioan. 20. *Accipite Spiritum S. quorum Remiſeritis peccata &c.* Futurorum prædictio: Actor. 1. *oportet impleri Scripturam, quam prædixit Spiritus S. per os David.* 2 Pet. 1. *Spiritu Sancto inſpirati locuti ſunt Sancti Dei homines.* Miraculorum patratio: Rom. 15. *In virtute ſignorum & prodigiorum, in virtute Spiritus Sancti.* Matt. 12. *In ſpiritu Dei eÿcio Dæmonia.* Act. 2. *Cœperunt loqui, pro vt Spiritus S. dabat eloqui illis.* Ac tandem ſuprema poteſtas tùm arguendi, & iudicandi; Ioa. 16. *Cum venerit ille, arguet mundum de peccato.* Tum Eccleſiam gubernandi, Actor. 13. *Dixit Spiritus S.*

ſegre.

segregate mihi Paulum & Barnabam ad opus, ad quod assumpsi eos. Actor. 20. *Attendite vobis & uniuerso gregi, in quo vos Spiritus S. posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.*

Tertia: Æquè fæcunda est voluntas ac intellectus diuinus, si igitur hic satiari oportet per Filiũ, illa per Spiritum S. Antecedens patet, quia vtraque potentia quantum est ex se, est productiua, vtraque respicit obiectum, simpliciter, & in omni genere infinitum; ergo vtrique correspondere debet terminus simpliciter infinitus, adeòque si per intellectum gignitur Verbum, per voluntatem necesse est quòd procedat Spiritus Sanctus. His accedit congruentia & ratio D. August. ex perfectione ternarij numeri deducta, aliæque S.S. P.P. authoritates, & rationes, videndæ apud Polemicos, Petauium, Macedum, Ruizium, Suarium, Forestum, aliosque non paucos.

Ad primam Hæret. patet clarè responsio ex auctoritatibus pro

Spiritus S. Diuinitate productis. Fateor equidem non æquè clarè positam in Scriptura Spiritus Sancti Diuinitatem, ac est Diuinitas Patris & Filij, sed rationem accipe à Nazianzeno, estque illa eadem ob quam in veteri testam. obscurè etiam fuit reuelata Diuinitas Filij: *Neque enim tutum erat, Patris Diuinitate non dum confessa, Filium apertè prædicari, nec Filij Diuinitate non dum admissa, Spiritum Sanctum, veluti grauiorem quandam, si ita loqui fas est, sarcinam nobis ingeri.*

Ad 2. *Dictum Prophetæ* Amos *non in Spiritum Sanctum sed in communem hunc flatum, aëris scilicet, spiritum credimus fieri*. Ita D. Basil. lib. 3. aduersus Eunom. in fine. Ad 2. auct. Ioan. *Omnia, quæcumque facta sunt, dicit Euangelista, non omnia simpliciter. Nam ne ipse quidem Pater, nec omnia ea, quæ facta non sunt*. Sic Nazianz. orat. 37. Ad 3. auct. eiusdem: Inclusio vnius, vt est vulgare proloquium, non est exclusio alterius, & taceri nomen

Spi-

Spiritus Sancti, non est illi negare Diuinitatem, aliter Isai. 45. *Et nunc Dominus misit me, & Spiritus eius*, & Agæi 2. *Ego vobiscum sum dicit Dominus omnipotens, & spiritus meus in medio vestri consistit*, quia expressè ponitur Pater, & Spiritus S. non autem Filius, negaretur Filio Diuinitas. Ad D. Paulum, *sic dictum est*, inquit S. Aug. lib. 1. contra Maxim. *gemitibus interpellat, vt intelligeremus, gemitibus interpellare nos facit*. Ad vlt. Ioan. Spiritus S. in eo sensu non loquitur à semetipso, quo verum est à semetipso non esse, quia procedit à Patre & Filio, & quia nihil ab illis dissentiens loquitur. *Quod loquitur Spiritus*, inquit S. Ambr. lib. de Spir. S. c. 12. *Filij est: quod dedit Filius, Patris est. Ita nihil à se aut Filius loquitur, aut Spiritus, quia nihil extra se Trinitas loquitur*. Et Aug. tract. 99. in Ioan. *Non ergo loquetur à semetipso, sed quæcumque audiet, loquetur. Ab illo audiet à quo procedit*.

Audire, illi ſcire eſt, ſcire verò eſſe. Quia ergo non eſt à ſemetipſo, ſed ab illo à quo procedit, à quo illi eſt eſſentia, ab illo ſcientia, ab illo igitur audientia, quod nihil eſt aliud, quam ſcientia.

Ad tertiam, negatur vtrumque antecedens. In Diuinis enim non datur prioritas ordinis, temporis, aut graduum, ſed dumtaxat prioritas originis, quæ cum æqualitate, coæternitate, & conſubſtantialitate componitur. Nec dicas Spiritum S. tertio loco ſemper poni, quod per te eſt ignobilitatis ſignũ, nam te redarguet mendacij, & falſitatis D. Paulus, qui 1. ad Cor. 12, Spiritum S. 1. loco recenſet. *Diuiſiones gratiarum ſunt, idem autem Spiritus: Diuiſiones miniſtrationum ſunt, idem autem Dominus, diuiſiones operationum ſunt, idem verò Deus.* Quæ verba explicans Chriſoſt. tom. 5. orat. 2. de Trin. *Paulus*, inquit, *vocabulorum ordinem conuertit, vt ſimul & veritatis vim patefaciat, & improborum opinioni-*

bus

bus respondeat. Ad Conf. dicendum, Naturam diuinam per spirationem æquè ac per generationem communicabilem esse, cum non minùs voluntas diuina admitti debeat fœcunda, quam intellectus.



CAN. CONSTANTINOP.

Breuiculum, notulis interiectum.

Ordine, quo apud Bail.

Can. 1. *Fides Nicæna rata permaneat, anathematizata verò hæresis omnis, Eunomianorum, Arianorum, Semi-Arianorum, Marcellianorum, Photinianorum, & Apollinianorum.*

Eunomiani ab Eunomio, Spiritus Sancti diuinitatem negabant, Filiumque Patri dissimilem asserebant. Ariani ab Ario, Filium creaturam constituebant.
Semi-

Semi-Ariani Filium Dei dicebant, non eiusdem cum Patre substantiæ, sed similis. Marcelliani à Marcello Ancyrano, qui cum Sabellio videbatur, (iuxta Epiph. hæres 72.) Diuinas Personas confundere. Macedoniani à Macedonio, Diuinitatem Filij confitentes, & negantes illam Spiritui S. Photiniani à Photino, Trinitatem negabant, & Christum purum hominem asserebant. Hos omnes præsertim, Canon hic percutit anathemate.

Can. 2. *Episcopi, qui extra Diæcesim sunt, ad Ecclesias, quæ extra terminos eorum sunt ne accedant, nec Ecclesias confundant, sed solum quæ ad propriam Diæcesim spectant, gubernent.*

Can. 3. *Episcopi non inuitati vltra Diæcesim ne accedant super ordinandis aliquibus, vel causis Ecclesiasticis disponendis. Per singulas Prouincias*

Pro-

Prouincialis Synodus administrare, & gubernare debet omnia iuxta Nicæna statuta.

Canon iste idem statuit, quod Canon tertius Sardicensis.

Can.4. *Ecclesias Dei, quæ sunt in barbaricis gentibus constitutæ, regere atque administrare oportet secundum consuetudinem, quam à Patribus obtinuisse dignoscitur.*

Ecclesiarum barbaricarum nomine veniunt Ecclesiæ, in solo barbarico constitutæ, hoc est extra fines Imperij Romani, olim enim Romanus orbis, Romania, quidquid extra illum, Barbaria dicebatur.

Can.5. *Ecclesia Constantinopolitana post Romanam primum obtineat locum.*

Canonem hunc, qui in alijs editionibus est tertius, fictum ac commentitium prorsùs censet Baronius tom. 4. Anno 381. eò quià cum An-

anno ſequenti iterum Conſtantinopoli conueniſſent Epiſcopi, in litteris ad Damaſum de rebus in Synodo geſtis anno præterito, nullam faciunt mentionem de illo, & ob alias congruentias. Paulutius lib. 2. iuriſp. ſacræ tract. 2. c. 12. ipſum conditum cenſet à Synodo, non quidem in primo, ſed in ſecundo congreſſu, habito anno ſequenti. Lupus verò cenſet conditum à plena Synodo in primo congreſſu, probatque non leuibus coniecturis, diſſertat. de Synodo Conſtant. c. 4. Quidquid ſit de Canonis efformatione, ipſum nullam firmitatem, & robur habere probabimus prop. 3. controuertibili.

Can. 6. *Maximus Cynicus Philoſophus numquam fuit Epiſcopus, vnde ab ipſo ordinati habendi ſunt tamquam Laici.*

Philoſophus iſte, (de quo in not. hiſt.) à D. Gregorio Nazianz. Fidei rudimentis inſtitutus, & baptizatus,

tus, ac progressu temporis Clero adscriptus, à proprio Præceptore deficiens, pecunia Episcopatum Bizantinum à Patriarcha Alexandrino obtinuit, vnde eius ordinationes hoc Canone irritæ declarantur.

Can. 7. *De libello Occidentalium etiam eos suscipimus, qui Antiochiæ vnam Patris & Filij, & Spiritus Sancti Deitatem confitentur.*

Libelli Occidentalium nomine hìc venire verisimilius censeo illam Fidei formulam, quam in Concilio Romano editam, ad Paulinum misit Damasus Papa, vt in notitia historica tetigimus, & proposit. prima contr. insinuabimus.

Can. 8. *Accusare Episcopum nequeunt Hæretici, excommunicati, ac damnati de crimine. Accusati, ad Ecclesiasticorum accusationem admitti non debent,*

bent, nisi prius se insontes demonstrauerint. Accusatio autem Episcoporum, primò apud Prouinciæ Episcopos deferatur, secundò coram Episcopo Diœcesis, tertiò coram Synodo generali. Accusator verò, talionis pœnam teneatur subire. Si quis autẽ ordinem dictum non seruauerit, sed ad sæculares Principes confugerit, vel Synodum perturbauerit, ad accusationem non admittendus.

Christianus Lupus notat, tertiam huius Canonis partem de iudicialibus Episcoporum instantijs olere Eusebianam rebellionem, quia auferre videtur primas, & secundas instantias, diuino iure debitas præsertim in causis fidei, tum generali Synodo, tum Ecclesiæ Romanæ, ob quod ait: *Canonem hunc semper refutauit Romana Ecclesia.* Impugnationem satis probabilem esse non dubito, licèt Canon.

legi-

legitima explicatione non careat, ſed quomodo impugnatio dicta conſonet cum ſequentibus verbis, quæ idem Auctor habet diſſ. eiuſdem Concilij cap.4. poſt medium, ſanè non video: *Solus tertius* (apud ipſum, qui ſeptem ſolos numerat Canones, apud nos verò qui nouem numeramus ex Bail, quintus) *Repugnat ſexto Nicæno, eumque præſertim ſemper auerſata fuit Apoſtolica ſedes, eo admiſſo, nulla ratio ſuaſit alios ſex refutari.*

Can.9. *Ex hæreticis, qui ad fidem conuerti cupiunt, Ariani. Macedoniani, Sabbatiani, Nouatiani dicentes ſe ipſos Catharos, & Ariſteros, hoc eſt mundos vel ſiniſtros, Teſſeradecatiſtæ, & Apollinariſtæ minimè rebaptizantur, ſed recipiuntur dummodò hæreſim omnem anathematizauerint, ipſos ſancto chriſmate vngendo frontem, oculos, nares, os, & aures.*

Euno-

Eunomiani verò, Montanistæ, seu Phryges, & Sabelliani, recipi debent vt Græci, hoc est Gentiles, adeoque rebaptizandi, hoc ordine, vt primo die Christiani efficiantur, secundo Cathecumeni, tertiò verò sunt exorcizandi, & in faciem, & in aures insufflandi. Dein verò curari debet, vt catechizentur, & postquam longo tempore versati fuerint in Ecclesia, & scripturas audierint, admittendi ad baptismum.

Arianorum, Macedonianorũ, & Apolinaristarum hæreses tetigimus in not. can. primi huius Concilij. Nouatiani, à Nouato pœnitentiam negabant, lapsosque, post baptismum, asserebant, nõ amplius assequi posse pœnitentiam, aliosque complures propugnabant errores, videndos apud S. Epiph. hæres. 59. Nouatianis se adiunxere

Sab-

Sabbatiani à quodam Presbytero Sabbatio, qui etiam more Iudaico seruabat Sabbata; Dicti sunt etiam sinistri, quia, vt habet Balsamon, sinistram manum abhorrebant. Cathari dicti etiam sunt eo quòd puros præ cæteris se existimarent, candidisq; sese vestibus induerent. Quartadecimani, sic dicti, eo quod Pascha non die Dominico, sed Luna decimaquarta more Iudaico celebrarent. Dicuntur etiam Teraditæ, eo quod in Paschate ieiunabant, sicut nos quartis ferijs. Hos omnes, qui ad fidem conuerti cuperent, iubet Canon rebaptizandos non esse, vtpotè iam baptizatos iuxta Ecclesię formam. Rebaptizandos autem iubet illos, qui iuxta Ecclesiæ formā baptizati non fuerant, cuiusmodi erant Eunomiani, qui baptizabant vnica mersione, Montanistæ (dicti etiam Phryges, vel quia eorum Dux ex Phrygia erat, vel quia eorum hęresis in Phrygia multos occupasset) à

Mon-

Montano, qui se Paracletum iactabat. Sabelliani à Sabellio, eandem esse asserentes Personam, Patrem Filium, & Spiritum Sanctum, tribus vocatam nominibus.

Duo autem hic obseruanda censeo. Primum, Arianos, vt plurimùm, in recta Ecclesiæ forma administrasse Baptismum, etiam si malè verba intelligerent, aliter enim Canon, eos rebaptizandos esse non prohiberet. Cum hoc tamen stat, quod aliquis Arianus, vel aliqui vitium in formam induxerint, ob quod cœteris accensendi essent, qui Gentilium nomine veniunt. Alterum est, Ritus in Cathecumenis excipiendis. Prima autem cœremonia erat efficere eos Christianos, non quod reuera constituerentur, aut appellarentur Christiani, hoc enim per sacrū baptisma obtinebatur, vt constat ex pluribus sed quòd, sicut milites antequam sumerent cingulum nomen dabant Imperatori, cui militare volebant, ita quicumque infideles baptizari cu.

cuperent, primùm dabant nomen Christo, profitentes se velle instrui in eius fide, & eius militiæ adscribi, idque explicatur à Canone per hoc quod efficiebantur Christiani.

PROP. CONTROVERTIBILES.

PRima: Hoc Concilium non sola Theodosij auctoritate, sed de consensu Damasi conuocatum, inter Oecumenica procul dubiò est connumerandum. Primam assertionis partem, cui aduersari videtur Christianus Lupus dissert. de Synodo Constant. c. 1. docet apertè Baron. t. 4. ann. 381. firmatq. eius Epitomator Spondan. ex Cod. Vatic. Biblioth. S. Mariæ Maioris, & S. Mariæ in Vallicella, qui res gestas Damasi Papæ continent, ex quibus hæc regerit verba: *Sententiam de damnatione Macedonij, & Eunomij Damasus confirmari præcepit, etiam in sancta secunda Synodo, quæ præcepto & auctoritate eius apud*

Con-

Constantinopolim celebrata est. Nec minorem efficaciam habet pro assertionis confirmatione epistola Episcoporum huius Synodi ad Damas. à Theodoret. lib. 5. hist. cap. 9 relata: *Mandato litterarum superiore anno à vestra reuerentia ad S.S. Imperatorem Theodosium missarum, ad iter dumtaxat Constantinopolim vsque faciendum nos præparauimus*: Et iterum; *Vos Concilio per Dei voluntatem, ac nutum Romæ coacto, nos velut membra propria per Imperatoris sanctissimi litteras accersiuistis*: Idem quoque apertè colligitur ex antiqua Damasi Pontificis vita, per Abbatem Constantinum Caetanum è Romanis Canonicorum S. Petri archiuijs exscripta, & publicata per Martium Milesium; *In diebus illis Damasus conuocatis Episcopis de diuersis mundi partibus celebrauit Concilium, in quo condemnauit Macedonium, Eunomium Apollinarem. Quam sententiam confirmari præcepit in Sancta secunda Synodo, quæ præcepto, & au-*

ctori-

Ctoritate eius apud Constantinopolim celebrata est.

Quòd autèm Concilium hoc Oecumenicum censeri debeat, dubitare nefas videtur, sic enim, ait Lupus, *semper inconcussè tenuit omnis sub cælo Ecclesia.* Et D. Greg. Papa inter œcumenica numerat, cum sit vnum ex illis quatuor, quæ S. D. vt quatuor Euangelia veneratur. Oecumenici autem nomen obtinuit, vi confirmationis Damasi Papæ, qui licet Concilio nec per se, nec per Legatos interfuerit, voluit tamen omne robur illi impertiri in ijs, quæ ad fidem spectabant (tantum enim roboris, & firmitatis Concilia consequuntur, quantum eisdem auctoritatis impertit Ecclesia Romana) vt colligitur tùm ex Photio Constantinopolitano, qui scribens ad Michaelem Bulgariæ Principem in lib. de 7. Synodis, de sancitis in hac Synodo ait: *Quibus haud multò post, & Damasus Episc. Romæ eadem confirmans atque idem sentiens*

accessit. Tùm ex Diuo Gregorio Papa ep. ad Eulogium Alexandrinum, & Anastasium Antiochenum: *In hoc eandem Synodum* (loquitur de Constantinop.) *Romana Ecclesia accepit, quod est per eam contra Macedonium definitum.*

Nec obstat Synodum hanc, ex solis 150. Episcopis Orientalibus constasse, Occidentales enim licet corpore præsentes non fuerint, fuere nihilominùs animo, & voluntate, cũ enim Damasus Orientales vocasset ad Rom. Concil. illique iustis de causis se excusassent, Occidentales Orientalibus sese animo coniunxere, miseruntque ad illos libellum Synodicum de quo Auctor incognitus libelli Synodici apud Christophorum Iustellum c. 76. *Damasus sanctiss. collecta Romæ Synodo diuinum decretum edidit, & ad eam quæ Constantinopolim cogebatur Synodum, misit*, & Rufinus ep. 2. ad Macarium: *Damasus Episcopus dum de recipiendis Apollinarianis deliberatio habere-tur,*

tur, editionem Ecclesiasticæ fidei cui subscribere deberent, conscribendam mandauit . Vnde propter hanc mentium vnionem, Rom. & Const. in vnum coaluere Concilium, cui sic accepto, non erit à veritate alienum asserere, Damasum Papam per se præsedisse.

Ex dictis rectè colligit Bail 3. par. huius Concil. inferri ex ipso non posse *alia Concilia Prouincialia à summo Pontifice approbata ex eius arbitrio affici posse titulo vniuersalis Concilij Quoniam hoc semper est singulare in hoc Concilio, quòd omnium iàm Orientalium, quàm Occidentalium suffragia adfuerint, seu voce seu scripto propter libellum illum Occidentalium, sicque paribus votis, & sententijs, Occidens & Oriens veram Fidem de Spiritu S. ediderunt. Nec verò istud parui momenti est ad rationem veræ Synodi; cum in Nicæna secunda act. 6. eo ipso Constantinopolitana Synodus sub Leone habita contra imagines Præside Photio, repudiatur, quoniam non habuit cooperarium,*

vt hæc quæ nunc celebratur, Romanum Pontificem, nec illius Sacerdotes, nec per Vicarios, nec per Prouinciales litteras, quemadmodùm in Synodis fieri solet. Quæ minimè dici possunt de præsenti Concilio, cui Papam cum Episcopis Occidentalibus cooperatum fuisse dici potest per exhibitionem huius libelli eorum vota, & suffragia continentis.

Dices ex Natali Alexandro histor. Eccles. sæc. 4. diss. 35. Synodum istam conuocatam non fuisse à Damaso constat, *primò ex omnium Historicorum silentio, qui nulla Damasi facta mentione, illius de conuocatione loquuntur. Secundò ex eo quòd nullos ad hanc Synodum Legatos Damasus miserit, missurus procul dubiò, si conuocationis illius particeps extitisset. Tertiò si istam Synodum conuocasset Damasus, ad eam Episcopos Occidentales conuocasset. &c. Non est itaque conuocata Synodus, ex sententia Damasi.*

Obserua ante responsionem directam, manifestam Arguentis con-

contradictionem, qui vt Baronium persæpè impugnet, sibi seipsum oppositum esse non curat. Natalis hist. Eccl. sæc. 4. diss. 11. probans hanc propositionem: *Ecclesia agnouit in Romanis Pontificibus authoritatem conuocandi œcumenica Concilia*. Tali vtitur medio: *Eam potestatem agnouerunt Concilij secundi Oecumenici Constantinopolitani primi Patres in ep. Synod. ad Damasum, quam Theodoretus refert lib. 5. hist. Eccl. cap. 9 Conueneramus*, inquiunt, *Constantinopoli ad litteras à Reuerentia vestra superiori anno post Concilium Aquileiense ad religiosissimum Imperatorem Theodosium missas ad hoc solum iter Constantinopolim vsque instructi &c. Itaque* claudit argumentum, *ad litteras Romani Pontificis Concilium indicentis conuenire se debere Episcopi Orientales agnouerunt*. Quomodò ergo Damaso inconsulto conuocatum est hoc Concilium? Vbi omnium historicorum silentium

de Damasi assensu, si Theodoretus de ipso apertissimè loquitur? Quæ tanti ponderis rationes, Codices trium Bibliothecarum insignium secum concordantes omninò suspectos, & à veritate alienos reddentes, vt Natalis contendit? Sed & aliam contradictionem inspiciamus.

Habemus ex dictis, Concilium hoc à sua conuocatione Oecumenicum fuisse, alitèr ex ipso inferri nullatenùs posset à Natali superiùs posita propositio: *Ecclesia agnouit in Romanis Pontificibus authoritatem conuocandi Oecumenica Concilia.* Ponamus nunc minorem: atqui ex Concilio Chalcedonensi habemus numquam factum fuisse Concilium Oecumenicum sine consensu Apostolicæ Sedis, vt suo loco dicetur; & videamus, quid Natalis respondeat: *Respondeo non posse quidem Synodos conuocari inconsulto Pontifice Romano, quæ nomine Oecumenicarum in Ecclesia celebrentur: sed nihil obstat*

stat absque eius authoritate Nationales Synodos, vel totius etiam Orientis Concilia celebrari. . . . . Atque ita Concilium Constantinopolitanum iussu & litteris Theodosij Imperatoris ex solis Episcopis Orientis conuocatum est. Vnde vi conuocationis suæ solius Orientis erat Synodus, quæ tamen ex post facto Oecumenica fuit &c. Igitur ex vna parte præsens Synodus vi suæ conuocationis nō fuit Oecumenica, & ideò indici potuit à Theodosio, Damaso inconsulto, ex altera Patres ad ipsam veniendo, *agnouerunt in Romanis Pontificibus authoritatem conuocandi Concilia Oecumenica*, quæ an sint compossibilia, vel opposita, iudicandum cuique relinquo.

Directè: Ad primum patet assumpti falsitas ex adducto Theodoreto, & ex relata Damasi vita. Ad 2. Rationem nullius Legationis dabimus propositione sequenti. Illam autem assignare tenetur ipsemet Natalis, siquidèm, esto Damasus Concilium non conuo-

cauerit, certè sciuit conuocatum fuisse, Occidentales Romam vocauit, eorumque excusationes excepit, cur igitur ad Synodum Legatos non misit? Ad tertiam dico, Damasum Occidentales ad Synodumnon misisse, quia habebat in animo Synodū Romæ celebrare, vt celebrauit, cumque rescisset Orientales non posse Romam accedere, & corporali iungi præsentia, ipsis fidei formulam misit, vt se subscribendo Concilium redderent Oecumenicum ex Romano, & Constantinopolitano compactum.

Æquè etiam inefficacia ac inutilia sunt, quæ contra hucusque dicta congerit Edmundus Richerius Omissis autem, quæ ad præsens punctum non spectant, quæ nostris rationibus respondet examinemus. In primis risu dignum videtur, quod ipse ait to. 1 cap. 5. num. 7. Damasum tribuisse huic Concilio authoritatem, *meram esse suppositionem principij, omni ratione,*

tione, authoritate, & testimonio destitutam. Quomodò enim sine authoritate, testimonio, & ratione, quod Photius Romanæ Sedis satis inimicus apertè fatetur? quod Teodoretus, vt certum pronunciat? quod exemplaria trium Bibliothecarum insignium continent? quod ipsimet Patres Constantinopolitani negare non audent?

Respondet, Patrum Constantinopolitanorum verba, vtpotè *ambigua, lucem habere ab alijs clarissimis, & notissimis, vt mos est ignotius per notius explicare. Cum ergo ex litteris Patrum Constantinopolitanorum ad Theodosium liquidò cognoscatur, Theodosium indixisse, & confirmasse Concilium, atque his ipsis etiam clarescat Damasum curauisse, vt Imperator suis litteris Orientales accerseret ad Synodum Romanam: Concludendum hæc ambigua sic capi oportere, vt sensus sit, Damasum vbi vidit Patres Orientalis Ecclesiæ significasse Theodosio Imperatori necessitatem habendæ Synodi . . . .*

tandem Damasum, inquam, suis etiam litteris in ea sententia fuisse, vt Concilium haberetur Constantinopoli, idque Imperatori declarasse &c. Iam quis non videt Aduersarij temeritatem? Ipsum explicatione, verius extorsione præfata veritati manifestæ se opponere quis sanæ mentis inficiabitur? Patres Constantinopolitani ad Damasum, inquiunt, *quod mandato litterarum à vestra Reuerentia ad SS. Imperatorem Theodosium Missarum ad iter dumtaxàt Constantinopolim vsque faciendum nos præparauimus.* Vbi ambiguitas? Vbi obscuritas? *Mandato*, inquiunt, non suasione, non consensu, non consilio. Insuper, duo sunt ex quibus deducit Richerius P.P. C.C. verba ambigua esse, & obscura, adeòque à se adhibitæ extorsionis capacia; Primum, quòd Theodosius indixerit Concilium, & confirmauerit; secundum quòd Damasus Orientales Romã vocauerit. Certè cum hoc secundo componitur, quòd Damasus

Con-

Concilium Constantinopolitanum indixerit, sicuti enim cum hoc ipso per Richeriū stat, quòd Damasus per litteras consensum præstiterit, pro conuocatione Constantinopolitani Concilij; *Neque tùm temporis ostendisse sibi in animo esse aliud habere Romæ Concilium ad hæresim Macedonij damnandam*, stare etiam potest, quòd Damasus Constantinopoli conuocauerit Patres Concilij, quin animum suum aperuerit verè celebrandi Romæ Concilium. Nec ex eo quod Imperator Concilium indixerit, & confirmauerit, infertur indictum etiam non fuisse à Pontifice Summo, vtrumque est enim verissimum, & vtrumque Constantinopolitani Patres insinuant verbis præfatis; nam dicunt se præparasse ad iter dumtaxat Constantinopolim mandato Damasi, non ipsis dato immediatè *sed mandato litterarum ad Theodosiū missarum*. Et ratio id ipsum suadet; cum enim Episcopi Orientales in temporalibus Imperatori su-
 bie-

biectos se agnoscerent, Pontifex, non per se eosdem Episcopos vocare poterat ad quamcumque Synodum, sed Imperatorem ipsum rogabat, vt iuberet Synodum congregari, vt sic & Imperator ipse faciliùs auxilium suum præstaret, & fideles libentiùs sancita in Synodo exequerentur.

Ad Photium, inquit Richerius, nos venditare *confirmationem pro consensu, & congratulatione*, vt claret ex verbis Photij, ita conceptis: *Quibus haud multò post Damasus Episcopus Romæ eadem confirmans, atque idem sentiens accessit; quo ex loco innotescit confirmari Synodum à Papa nihil aliud esse, quàm dùm accedit ad sententiam Patrum, vt Damasum accessisse refert Photius*. Sed vt appareat responsionis imbecillitas, obserua Photium nedum fateri Damasum accessisse, *idem sentiens*, sed etiam *eadem confirmans*, cur igitur ex illis verbis ista, & non potiùs illa ex istis sunt explicanda? & reuerà illa ex istis intelligi

ligi debere, ſatis oſtenditur primò quia, cum Photius Romanæ Sedis ſit hoſtis infenſus, confirmationis nomine vſus numquam fuiſset, ſi vere Damaſum Conciliũ hoc confirmaſse non ſentijſset. Secundò, quia conſenſus, & confirmatio ſe habent veluti genus & ſpecies, omnis enim cõfirmatio eſt conſenſus, & non viceuerſa, vnde ex confirmatione, vtpotè particula limitatiua, eſt explicandus conſenſus, & non è contrario.

Actus ergo ille Damaſi ſimùl & ſemèl conſenſus fuit, & confirmatio. Conſenſus quidem in adhærendo eidem ſententiæ, ijſdemque decretis; Confirmatio verò in dando robur, & firmitatem ſua Pontificali authoritate iuxta illud *Et tu conuerſus confirma fratres tuos.* Cæteris autem conuenit conſenſus tantùm, & non in rigore confirmatio in ordine ad ipſa dogmata, ſed ſolùm in ordine ad executionem, vel adimplendam, vel mandandam.

Deni-

Denique, Ad Codicem Vaticanæ Bibliothecæ respondet: *Vaticanis tabulis præsertim in causa Pontificum, tantùm habere debemus Fidei, quantùm iuri diuino, naturali & Canonico concordat.* Sed hoc aliam impugnationem non meretur, quàm quòd sit animo liuoris pleno, & arbitrariè dictum.

Aduerte tamen conuocationem Concilij Constantinopolitani tripliciter intelligi posse; primò pro ipsa conuocatione Episcoporum, qui constituebant Concilium, præscindendo tàm à Concilio celebrando, quàm à loco Concilii. Secundò pro conuocatione eorũdem Episcoporum in ordine ad Concilium, sed præscindendo à loco Concilii. Tertiò tandem pro conuocatione eorundem in ordine ad Concilium, & quidèm celebrandum in tali loco, nempè Constantinopoli. Cum autem Nos in Summaria historiæ notitia dixerimusmentẽ Damasi fuisse, Romæ, non verò Constantinopoli

Con-

Concil. celebrare; certè asserentes conuocationem factam à Damaso Concilii Constantinopolit. non intelleximus tertio ex dictis modo, sed duobus prioribus; nam neque Imperator conuocans ex mandato Papæ volebat fieri Concilium Cõstantinopoli, sed postquam venerant, significauit mentem suam, & Pontificis de profectione in Italiam, cumque Episcopi se excusassent ob grauissimas causas, tàm Imperator tunc permisit, fieri Concilium Constantinopoli, quàm Damasus posteà admonitus per eosdem Episcopos, vt dictum est, consensit, confirmauitque decreta fidei inibi statuta, vndè eadem ratione valet dicere, quòd Imperator, & Papa conuocauerint Cõcilium Constantinopolitanum suo vterq; modo, quia initio neutrius mens erat de celebranda ibi Synodo, posteà verò mens vtriusque per consensum accessit. Quamobrèm iure merito dicitur ab aliquibus Imperatorem conuocasse Con-

Concilium Conſtantinopolitanũ, ab omnibus verò Damaſum conuocaſſe illud idem.

Secunda. Non eſt adeò probabile, Sanctum Aſcholiũ, ſeu Acholium in hoc Concilio fuiſſe Damaſi Papæ Legatum. Aſſertio, vt certa vſque ad noſtra hęc tempora eſt habita, ſed illam aliqualiter dubiam reddidit quædã Synodus iuſſu Eminentiſs. Card. Franciſci Barberini è Bibliotheca Vaticana in publicum vſum typis tradita, in qua duæ extant epiſtolæ, quibus S. Acholio Teſſalonicenſi Epiſcopo ad primam Synodum Conſtantinopolitanam cum ſuis Illyricis profecturo S. Damaſus Pontifex, vt ſuo Legato, dat inſtructiones varias, mandatque nullas deinceps permitti Epiſcoporum translationes. Vndè Chriſtianus Lupus apud Bail citat. ob ignorantiam huius Acholicæ Legationis hallucinatos veteres omnes fuiſſe, aſſerere non dubitauit.

Verùm licèt hanc Acholii Legatio-

gationem aliquã habere probabilitatem nõ dubitem, aſſertionẽ tamen noſtrã vt probabiliorẽ amplectendam cenſeo, cum nimis arduũ videatur, Acholium Summi Pontificis Legatum fuiſſe, & per tot ſæcula hoc fuiſſe penitùs ignoratum. Et miror Lupum veteres omnes hallucinatos cenſere, cum loco ſupra citato Synodum hanc à ſolo Theodoſio conuocatam cenſeat: *Nulla enim*, inquiens, *Legatio, nulla epiſtola Apoſtolica adfuit, ſine quibus fieri nequit totius Eccleſiæ Synodus generalis*, & explicans quomodò Damaſus confirmans acceſſerit, ait *ideſt iam factam ſine iuſſu habuit ratam & confirmauit*. Inſuper non videtur veriſimile, Acholium Legatum fuiſſe, & de illo nullam mentionem facere Patres Concilii Conſtantinop. in ep ad Damaſum Papam, vtì mentionem faciunt de epiſtola ipſius Damaſi ad Theodoſium Imperatorem, & de conuocatione Concilii à Teodoſio facta ex Damaſi ipſius præcepto. Nec

ex

ex epiſtolis Damaſi aliquid in contrarium colligi poteſt; Illuſtriſſimus enim Lucas Holſtenius, cuius opera Synodus allata in publicum fuit tradita, præfatas epiſtolas explicans, ex verbis illis: *Cognoui diſpoſitum eſſe Conſtantinopolim Concilium fieri*, colligit Acholicam Legationem, non ad Generalem Synodum Conſtantinopolitanam, ſed ad aliam Conſtantinopolitanam Prouincialem fuiſſe directam; & benè, ex dictis enim propoſitione præcedenti apertè ſatis conſtat Conſtantinopolitanum Concilium ex Damaſi conſenſu conuocatum fuiſſe, vnde ſi Sanctus Pontifex de dicto Concilio loqueretur præfata loquendi formula minimè vſus fuiſſet. Accedit his, quòd Auctores, qui poſt Lupum ſcripſere de hac Synodo nullam de Acholica Legatione mentionem fecerint, ſignum, illam parùm cenſuiſſe probabilem. Vnde Illuſtriſs. D. Paulutius lib. 3. Iuriſp. Sacr. tract. 2. de Concil. c. 3. ait:

ait : *Constantinopolitana Synodus nullam habuit Apostolicæ Sedis Legationem* . Idem habet Boyuinus tom.4.suæ Theolog.quadr ad hoc Concilium , inquiens : *Legatos non misit Damasus, se vniens illi tantum mente cum non posset corpore.* Idem, Cabbasutius not.eccl.ad Nicenam Synodum, cap post hist.num.4. *In Constantinopolitana prima nulli Apostolici Legati fuere* , & ad Concil. Chalced. num. 26. *Nectarius Constantinopolitano Concilio, in quo nulli interfuerunt Apostolici Legati, præsedit* . Idem, Dominicus à Sanctiss. Trinitate to.3. Biblioth.Theolog. sect. 5. c. 5. *Sanctus Damasus Constantinopolitano Concilio , Generali secundo contra Macedonium, neque per se , neque per Legatos suos interfuit* , subdens de hac re congruentiam : *Quòd cum Romana Synodus cui Damasus personaliter præsidebat vna eademque cum Orientali in materia fidei esse videretur, summus inde Pontifex haud esse necessarium iudicauit suos ad eã Legatos transmittere* .

Ter-

Tertia: Canones huius Concilij robur & firmitatem non habent. Patet quia nec conditi fuere de consensu Pontificis, nec ab ipso approbati, nec ab Ecclesia recepti, vt colligitur tùm ex D. Gregorio Papa lib. 6. epist. 125. ad Eulogium. *Romana Ecclesia eosdem canones vel gesta Synodi illius hactenùs non habet, nec accipit, in hoc autẽ eamdem Synodum accepit, quod est per eam contra Macedonium definitũ.* Tùm ex Gelasio itidem Papa, qui in epistola ad Episcopos Dardaniæ Constantinopolitanam Sedem, nedùm inter Sedes Patriarchales, qualis in Canonibus huius Concilii stabilitur, sed nec inter Metropolitanas agnoscit. Tùm ex D. Leone, qui ep. 53. ad Anatolium nullius roboris esse asserit Canones Constantinop. ac præsertim tertiũ, apud nos quintum: *Persuasioni enim tuæ in nullo penitùs suffragatur quorumdam Episcoporum ante 60. vt iactas, annos facta subscriptio, numquamque à Prædecessoribus tuis ad*

Apo-

Apostolicæ Sedis transmissa notitia. Ex quibus aliisque non leuibus motiuis rectè aduertit eruditissimus Emanuel à Schelstrate par. 2. antiq. illustr. diss. 2. cap. 7. nu. 190. mirum non esse, *quòd D. Ioannes Chrysostomus Constant. Episcopus à Theophilo Alexandrino in iudicium vocatus, & dira passus, nunquam obiecerit suum præ Alexandrino Patriarcha honorem, ac secundum post Rom. Episc. locum: Licèt enim hoc Canoni tertio Constant. innixum fundamentum sufficiens fuisset, ad reprimendum Theophili ausum, attamen numquam attingere voluit D. Chrys. quòd sciret statutum illud Canonis tertii, nec in Occidente, nec in Oriente fuisse admissum.* Faciunt in assertionis confirmationem dicenda in Chalcedonensi Concilio propos. 2. controuertibili, in qua nonnulla de Patriarchatu Constantinopolit. tangemus.



LO-

LOCA LIBRORVM in quibus tractatur de discussis in hoc Concilio.

DIuus Greg. Papa lib. 6. ep. 125. Baron ann. 381. to. 4. Spondan. & alij epitom. eodem anno. Ghislerius opusc. 2. in Vigilij Tapsensis opera pag. 42. Bellar. to. 1. controu. lib. 1 de Christo cap. 13. Christianus Lupus in scholiis ad can. Sardic. & in scholijs ad Const. Emanuel à Schelstrate p. 2. antiq. illust. diss. 2. c. 7. nu. 190. Boyuinus to. 4. Theol. quadrip. ad Constan. 1. Caranza, Franciscus Longo, Bail, Cabbasutius ad Constan. 1. Paulut. lib. 2 iurisp. sac. tract. 2. de Patriarchis. Bordon. noster tom. 1. prax. Trib. ad Constantin. Dominicus à Sanctiss. Trinitate tom. 3. Biblioth. Theol. sect. 5. c. 5.



CON-

CONCILIVM

EPHESINVM


Celebratum Ephesi, in Templo B. Mariæ Virginis, anno Christi 431.

Tempore Theodosij Iunioris Imperatoris.

Præsidente Cœlestino Papa per suum Legatum Cyrillum Episcopum Alexandrinum.


Pro stabilienda in Christo Domino contra Nestorium vnitate Personę, & in Beata Virgine Maternitate diuina.

Conuenientibus Episcopis ducentis.



SVM-

SVMMARIA EPHESINI Concilij Historiæ Notitia.



CCASIONEM huic Oecumenico, & Generali Concilio dedit impijssimus Nestorius Episcopus Constantinop. asserens B. Virginem *Christotocon*, non *Theotocon* esse dicendam. De Origine huius hæreseos multi multa dicunt, refundentes illam, alij in affinitatē Nestorij cum Paulo Samosateno, cuius erat Nepos, qui Christum non Deum sed purum hominem credidit. Alij in familiaritatem cum Pelagianis, qui Mariam genuisse hominem solum dicebant, qui post baptisma fuit Christus, & post Resurrectionem Deus. Alijs verò placuit, Nestorium omnes errores suos hausisse ex Magistro suo Theodoro Monacho, qui postea creatus fuit, Mopsnestiæ Episcopus,

pus. Hæresis autem Nestoriana tria capita continebat.

Primum. Verbũ non fuisse physicè vnitum cum humana Natura.

Secundum. In Christo duas admittendas esse Personas distinctas, humanam, & diuinam.

Tertium. Mariam Virginem, Matrem Dei nullatenus dici posse, sed Christi dumtaxat, seu Christiparam, non Deiparam.

Ab his erroribus dimouere Nestorium conatus est S. Cyrillus Episcopus Alexandr. & S. Cælestinus Pontifex Summus. Hic, coacto Romæ particulari Concilio, Impio hæresiarchæ, denunciando, quod intra decem dies, nisi quæ docuerat, abiurasset, ex tunc, vt membrum putridum, à Sacerdotali Caractere abdicatum, reiectumque ab Ecclesiastico ordine se esse cognosceret: Cyrillus verò amantissimis primò literis, aliud postea conuocando Prouinciale Concilium, mittensque ad ipsum duodecim decreta, seu anathematis-

I mos,

mos, quibus damnabantur quidquam ſentientes, vel contra vnitatem Perſonæ Chriſti Domini, vel contra phyſicam vnionem Naturæ humanæ cum hypoſtaſi diuina, vel contra diuinam Maternitatem Beatiſſimæ Virginis. Quibus non melior, ſed peruicacior, & inſolentior effectus Neſtorius, cum nulla emendationis ſpes in ipſo appareret, de conſenſu Cæleſtini Papæ, Theodoſius iunior Imperator, Epheſi, Concilium Generale conuocauit, quod dictum eſt Concilium Marianum, vel quia in Templo B. Mariæ eſt celebratum, vel quia in ipſo fuit defenſa B. Virginis Diuina Maternitas. Concilio autem præſedit dictus Cyrillus, cui Cæleſtinus vices ſuas demandauit, tamquam legato Apoſtolicæ ſedis. Qui, perlecta Imperatoris Epiſtola ad Metropolitanos, qua cuncti ex orbe vniuerſo ad Concilium erant vocati, cenſuit, ſat expectatum fuiſſe aduentum illorum, qui adeſſe Concilio tenebantur,

tur, ac proinde deueniendum ad decretorum confectionem, terque in vanum vocato Nestorio, Sacrosancta Synodus, post exactissimam discussionem, confirmans duodecim Anathematismos Cyrilli, protulit contra Nestoriũ damnationis sententiam, quam ab Episcopis omnibus plusquam ducentis subscriptam, ad impium misit Hæresiarcam cũ literis, & hac inscriptione: *Sancta Synodus* &c. *Nestorio nouo Iudæ*.

Die quinta à damnatione Nestorij, Ioannes Antiochenus cum suis Episcopis (qui aduentum suũ distulerat, ne præsens Concilio, vel defendendo Nestorium eãdẽ cum eo damnationis pænã subiret, vel eum damnare cogeretur, quòd nolebat, vt potè olim eius condiscipulus, & amicus) Ephesum venit, dolensque cum suis, quod Patres decreta fecissent ante ipsorum aduentum, Anticoncilium celebrant, acta Ephesinæ Synodi rescindunt, & S. Cyrillum Episc. Alexand. & Memnonẽ Ephesinum

deponunt, ac damnant, tamquam hæreseos Appollinaris infectos. Anti-Concilio adhæsit Candidianus Comes, Nestorij amicus, & Imperatoris legatus, qui interceptis litteris à S. Synodo ad Theodosium missis, suas ac Anticoncilij Epistolas in Cyrillum, & Memnonem aliosque S. Concilij Patres mendacia, & calumnias innumeras continentes, ipsarum vice substituunt. Quibus nimis credulus Imperator seductus, Cyrillum, & Memnonem in carcerem iussit detrudi.

Alias proinde Patres Concilij scripsere epistolas tum Theodosio, tum Episcopis, Diaconis, & Presbyteris Constantinopolitanæ Ecclesiæ, easque per fidum miserunt hominem, qui mendici formam induens, loco baculi gestabat arũdinem, continentem intùs præfatas Epistolas. Ephesum interim peruenere Arcadius, & Proiectus Episcopi, & Philippus S. R. E. Presbyter, Apostolicæ Sedis Legati; qui

qui offerentes Synodo litteras Cælestini, illas recitari iusserunt, priùs latino idiomate, ob dignitatem Apostolicæ sedis latinè scribentis, dein Græco, in quod fuerant redditæ. His lectis, legati, nomine Summi Pontificis, Synodi actis auditis in Nestorij damnationem suum calculum adiecere, confirmantes omnia in Synodo sacrosancta sancita. Post hæc ter citato Ioanne Antiocheno cum suis, & audita vltima ipsius responsione. *Neque vos ad nos mittatis, neque nos in posterum quidquam ad vos mittemus, expectantes quid ab Imperatore statuatur:* haud diutius dissimulandum censuit Sancta Synodus, adeoque in ipsum, & qui cum eo erant, Episcopos, damnationis tulit sententiam, nomina exprimens singulorum.

Acceptis denique à Theodosio S. Synodi litteris, tanti ponderis fuere apud ipsum, vt Patrum postulationibus acquiescens, consiliũ inijt, vt septem ex vtraque parte

Epheſo Conſtantinopolim mitterentur Epiſcopi, qui coram ipſo de rerũ ſumma tractarent. Legatis Conſtantinopolim appropinquantibus, Epiſcopos Oecumenicæ Synodi intra vrbem venire præcepit Theodoſius, Neſtorij verò fautores priùs apud Chalcedonem degere, dein rei veritate comperta, ipſis inauditis, redire præcepit ad propria. Neſtoriũ verò iuſſit exilio mulctatũ Epheſo recedere, & quò vellet pergere, abſque ſpe redeundi ad Conſtantinopolitanam Sedem, ex qua iuſtè depoſitus fuerat.

His non obſtantibus, precibus Hæreticorum denuò annuens Imperator, Legatos iterum vtriuſque partis vocauit, vt examinarentur prę́ſertim capitula duodecim Sancti Cyrilli, ab hæreticis, vt Apollinaris erroris defenſoris accuſati. Sed patefactis iterum tum aduerſariorum impietate, & calumnijs, tum ſanctitate Cyrilli, qui adhuc manebat carceri mancipatus, licèt iure de hac re conqueſtus fuiſſet cum

cum Theodoſio, maximè cum ex parte Neſtorij Conſtantinopoli adeſſet Ioãnes Antiochenus, Schiſmaticorum omnium Coriphæus: Imperator omnes reuerti iuſſit ad propria. Et anno deinceps elapſo, Ioannem Antiochenum cum ſuis, Magni Simeonis Stilitæ interuentu, conciliauit Cyrillo, vndè illi in priſtinum reſtituti, Sacroſancto acquieuere Concilio.

NESTORII RATIONES.

PRo prima arguit Neſtorius Sacræ Scripturæ auctoritatibus. Ioan. 2. *Soluite templum hoc*, quaſi quoddam, in quo habitat Deus, non *ſoluite me*, quaſi ſit Deus. 2. ad Philip. *In ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus, vt homo*, ergo Verbum non factus eſt homo, per vnionem veram, & phyſicam, ſed quodammodò humanitatem induit, illam per gratiam & amorem inhabitans. Matth. 27. *Deus meus vt quid dereliquiſti me?*

Derelinqui autem eſt deſeri à Deo, ergo in Chriſto ita erat coniuncta diuinitas, vt abeſſe poſſet ab illo.

Pro ſecunda. Verbum aſſumpſit hominem, ſed homo eſt, & dicitur Perſona, ergo aſſumpſit Perſonam, ſicque duæ nõ vna ſunt in Chriſto Perſonæ. Maior eſt communis SS. PP. loquutio. Minor admittitur à Theologis, qui inter hominem, & humanitatem hanc agnoſcunt differentiam, quòd homo Perſonalitatem includat, quam non includit humanitas. Conſequentia ſequitur.

Pro tertia. Primò: Homo non niſi hominem generat, ergo Beata Virgo non Dei, ſed Chriſti mater dicenda. Secundò: Chriſtus dicitur Deus ſecundum dininam naturam: ſed hæc non ſumpſit ex Beata Virgine initium, ergo &c. Tertiò: in Sacra Scriptura, & in Cõcilijs Nicæno, Sardicenſi, & Conſtantinopolitano, nuſquam Beata Virgo dicitur Mater Dei, ſeu Deipara, ſed Mater Ieſu, vel pueri.

Quar-

Quartò: hoc nomen, Deus, prædicatur de Patre, & Filio, & Spiritu Sancto. Si igitur Beata Virgo est Mater Dei, dici poterit Mater Patris, & Spiritus Sancti.

RATIONES CONCILII Contra Nestorium.

PRima, contra primam, & secundam Nestorij impijssimam assertionem æquè militans deducitur, ex illis Sacræ Scripturæ locis, in quibus vnus, & idem à parte rei existens dicitur verus Deus, & homo: Verus Deus dicitur. Matth. 16. *Tu es Christus Filius Dei viui*. Ioan. 1. *Vnigenitus, qui est in sinu Patris*. Lucæ 2. *Quod ex Te nascetur Sanctum, vocabitur Filius Dei*. Ioan. 9. *Credis in Filium Dei? Vidisti eum, & qui loquitur secum, ipse est*. Ioan. 10. *Ego & Pater vnum sumus*. Ad Rom. 8. *Proprio Filio suo non pepercit*. Ad Ro. 9. *Christus qui est super omnia Deus*. Verus homo. Ioan. 8. *Quæritis me*

interficere, hominem, qui veritatem vobis loquutus sum. Ioan 9. *Iste homo, qui dicitur Iesus, lutum fecit*. Ioann. 14. *Pater maior me est*. Ad Ro. 5. *Sicut per vnum hominem.... multo magis gratia Dei in gratia vnius hominis Iesu Christi*. Hæ autem denominationes de vno, & eodem Christo verificari non possent, si in ipso non esset physicè vnitum Verbum cum humana natura, sicque essent vnum in vnitate suppositi.

Secunda: Nestorij dicta impugnant directè verba Io. 1. *Verbum caro factum est* & epist. 1. cap. 4. *Quisqui confessus fuerit, quoniam Iesus est Filius Dei*. & cap. 5. *Quis est, qui vincit mundum, nisi qui credit, quoniam Iesus est Filius Dei?* Si autem Verbum verè, & physicè vnitum non fuisset humanæ naturæ, sed solummodò per charitatem, gratiam, & largitionem donorum, iam Verbum dici non posset Caro, nec homo, sed carnis hospes, vel humanum, aut car-

neum

neum ad summum; *Quemadmodum* ait Cyrillus Dialog. quod vnus sit Christus, *quia Nazareth habitauit Nazarenus non Nazareth dictus est*. E contra si Verbum dici posset caro, & homo vi vnionis Nestorianæ, *nihil obstiterit*, subdit citatus Cyrillus, *hominem vocari vnà cum Filio etiam Patrem, & Spiritum S. habitat enim in nobis per Spiritum Sanctæ, & consubstantialis Trinitatis plenitudo, vndè ipsemet Christus: Si quis amat me, Pater meus diliget eum, & ad eũ veniemus, & mansionẽ apud eũ faciemus. Cæterũ Pater nulla ratione dictus est homo, vt nec Spiritus S. quia in nobis habitarunt.*

Tertia: Lucæ 1. *Hic erit Magnus & Filius Altissimi vocabitur*: vbi eleganter Venerabilis Beda, *Magnum* notans etiam dictum fuisse Ioannem, subdit: *Ille, quasi homo Magnus, hic quasi Deus Magnus. Idem ergo Filius Altissimi, qui in vtero conceptus, & natus, si autem idem homo qui Deus est, omittat Nestorius hominem tantùm dicere à*

Virgine natum, & hunc à Verbo Dei non in vnitatem Personæ, sed in societatem inseparabilem esse receptum. Alioquin nō vnum Christum, verum Deum, & hominem, sed duos, quod dici nefas est, asserere, ac per hoc non Trinitatem, sed quaternitatem prædicare conuincitur.

Quarta: Nestorium apertè anathemate percutit D. Ioannes ep. 1. c. 4. *Omnis Spiritus, qui soluit Iesum ex Deo non est*, vt aduertit citatus Beda explicans Ioan. ep. *Nestorius nescire se prodidit hanc authenticis exemplaribus inditam fuisse sententiā, atque ideo soluere non timuit Iesum, ac se per hoc Deo reddere extraneum, dicens Beatam Mariam Virginem, non Dei, sed hominis tantùm extitisse Genitricem, vt aliam Personam hominis, aliam faceret Deitatis, neque vnum Christum in Verbo Dei, & carne, atque Anima credens, sed separatim alterum Filium Dei, alterum hominis prædicans.*

Contra tertiam Nestorij propositionem militant primò auctoritates

tates supra adductæ, omnesque illæ, quibus Christus dicitur Deus, si enim de Filio prædicatur Deitas de Beata Virgine est proculdubio prædicanda diuina Maternitas: *si veraciter & propriè*, ait Facundus Hermianus lib. 1. *Dicitur Filius hominis Deus, necessè est vt reciprocè dicatur B. Maria veraciter & propriè Mater Dei.*

Militant secundò speciali modo pro diuina Maternitate stabilienda nedum verba Archangeli Gabrielis, explicata à Venerabili Beda in tertia ratione, verùm & ea Beatæ Elisabeth ad eandem B. Virginem. *Vndè hoc mihi vt veniat Mater Domini mei ad me?* quod si Mater Domini est, Mater Dei quoque est dicenda, scriptum est enim, *ego Dominus Deus tuus.* Quo medio vsus est pro diuinitate Spiritus S. D. Athanasius in præcedenti Concilio citatus.

Ad primam Nestorij: Notanter Christus Dominus dixit *Templum hoc*, non Templum Dei, vt ex his

ver-

verbis colligi posset eius diuinitas, sancti enim, & iusti homines Templa Dei dicuntur, quia in ipsis habitat Deus per Gratiam, Christus vero Templum sui ipsius, quia ipsemet & Templum, & Deus est: *Quoniam corpus Christi templum appellatum est*, ait D. Cyrillus l.1. in Euang. Ioan. cap. 34. *Quomodo non erit natura Deus Vnigenitus Dei Filius, qui in eo habitat? Non enim dicitur, qui Deus non est in Templo habitare*, & infra. *Nec ignoro Templum Dei fideles appellari, sed hoc, quoniam propter habitantem in nobis Spiritum, dicitur, Dei Templa, non nostra, sumus.* Ad auctoritatem Matth. dici potest primò, quòd Christus Dominus loquatur non de sui derelictione, sed vel de derelictione Iudaici populi, vt censet Theophilactus, vel omnium damnandorum, vt explicat Orig. itaut sensus sit. Vt quid dereliquisti gentem meam? Vt quid homines, pro quibus morior, deseris vt paucos ex eis salues? *Me* autē dixit,

dixit, in eo sensu, in quo, Christus ad Saulum: *Saule, Saule, cur me persequeris?* idest *meos*. Intelligi potest, ac debet secundò de derelictione, ac separatione non diuinitatis, gratiæ, & amicitiæ Dei, sed eò quòd Pater eum à morte iam instante non eripiebat, nec consolatione vlla passionem suam mulcebat, ac mitigabat. Ita D. Hieronymus, Chrysostomus, & alij. Denique potest de derelictione Deitatis sano modo explicari, quia Deitas ad aliud ei non succurrebat, quàm vt eum in tormentis sustentaret, doloresque Christi augeret, quòd se Deitati vnitum videret tàm indigna, & atrocia pati. Quas omnes explicationes pulchrè affert Cornelius à Lapide explicans dictum locum Matth.

Ad secundam Nestorij: Verbum assumpsit hominem, non prout homo includit Personam, sed prout: *Nomen homo*, ait Angelicus, *significat Naturam humanam, prout*

nata eſt in ſuppoſito eſſe, vt dicit Damaſcenus. Sicque intelligendos eſſe Patres, ait D. Ioannes Maxentius Dial. 1. contra Neſtorianos, qui habetur tom. 1. Bibl. PP. *Nonnulli SS. PP. non quidem ſicut vos ò Neſtoriani, ſed ad Naturam reſpicientes hominem aſſumptum à Deo dicere comprobantur.*

Ad primam contra diuinam Maternitatem admittimus hominē nonniſi hominem generare poſſe, ſi ſenſus ſit, quòd terminus generationis humanæ eſſe debeat humana natura, nec nos dicimus Beatam Virginem Matrem Dei, eo quòd genuerit diuinum ſuppoſitum, ſed eo quòd genuerit naturam humanam vnitam diuino ſuppoſito. Ex quo patet reſponſio ad ſecundam. Sed contra vtramque placet adducere egregiam Cyrilli lib. 2. adu. Neſt. paritatem, reſponſionem noſtram mirabiliter confirmantem: *Vt mulier, quamuis ſolum corpus enixa, & corpore, & anima conſtantem peperiſſe dicitur,*

neque

neque tamen id Animæ rationibus, quidquam officit, ita etiam se res habet in B. Virg. Nam etiamsi sanctæ illius carnis est Mater, attamen vnitũ sibi reuera illud & Deo Verbum Deũ peperit.

Ad tertiam, Beatam Virginem, Matrem Dei in Scripturis appellari probauimus supra, tum ex verbis Gabrielis Archangeli, & Beatæ Elisabeth, tum ex auctoritatibus, Christo tribuentibus Deitatem. Ad Concilia respondet Cyrillus in Litt. ad Clericos Eccl. Constantinop. quæ habentur l. 1. Concil. cap. 12. *Quamuis Nicæna Synodus* (idem dic de cœteris) *voculæ huius*, Deipara, *non meminerit, non ideo tamen officio recto functa non fuit. Per id enim tempus nihil eiusmodi in controuersiam adducebatur. Quare quæ tum ambigua non habebantur, ea in medium proferre nullum operæ pretium erat. Quamquam si sententiarum vim perpendere lubeat, Sacram Virginem Deiparam esse nequaquam dissimulauit: Quandoquidem*

dem illum ipsum, qui ex Deo Patre natus est, Incarnatum, & hominem factum dicat &c. Quæ responsio, quoad primam partem est diligenter notanda, vtpotè applicabilis omnibus ferè hæreticis, qui non aliter ac Nestorius, ex eo quod aliquod non fuerit determinatum in Concilijs, arguunt non posse amplius determinari, seu de implicito ad explicitum extrahi, quo medio vsi sunt in Concilio Florentino Græci contra particulam *Filioque* vt suo loco videbimus.

Ad quartum. Quæ dicuntur de Deo ratione vnius Personæ tribui nō debēt toti Trinitati, sic quāvis generare Deo competat, non tribuitur Trinitati, & Actor. 20. quamuis dicatur Deum acquisisse Ecclesiam sanguine suo. *Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo*, non ideò idem potest dici de tota Trinitate, quia prædicatum illud tribuitur Deo ratione filij tantùm.

CAN.

CAN. EPHESINORVM Breuiculum notulis intermixtum.

Can. I. *Quilibet Metropolita, qui senserit, vel sentiet, cum Cæleſtio, vel Schiſmaticis adhærere auſus fuerit, derelicta Sancta, & Oecumenica Synodo, iuriſdictionẽ in Prouinciæ Epiſcopos prorſus amittat, & Eccleſiaſticæ communionis expers effectus, Epiſcopis Prouinciæ, ac circumuicinis ſubiaceat Metropolitis.*

Cœleſtius impius fuit defenſor Pelagij, qui æquè ac Neſtorius Chriſto Diuinitatem negauit, cum hac differentia, quòd Pelagius volebat Chriſtum hominem fuiſſe conſecutum diuinitatem poſt Reſurrectionem, meritis ſuę paſſionis, Neſtorius verò quamdam coniunctionem per gratiam admittebat inter

inter naturam humanam, & hypostasim, vndè quoad negandam Christo Diuinitatem, existimarunt aliqui, Nestorium à Pelagianis errorem suum hausisse, vt initio not. hist. insinuauimus. Et hac ratione Concilium præsens damnat æquè adhærentes Cælestio, ac Nestorio eorumque complicibus.

Can. 2. *Prouinciales Episcopi, qui à Synodo defecerunt, vel deficientibus adhæserunt, vel etiam post subscriptionem depositioni Nestorij, rursus ad defectionis consensum recurrunt à Sacerdotio penitùs sint alieni.*

Can. 3. 4. *Clerici à Nestorio excommunicati, quòd rectè sentirent, aut degradati, pristinos gradus recipiant, sintque à subiectione Schismaticorum exempti. Sentientes verò cum Nestorio, vel Cœlestio deponantur.*

Can. 5. *Damnati à Sancta Synodo, vel à proprijs Episcopis, & à Nestorio præter Canones in pristinum restituti, damnati maneant.*

Can. 6. *Gesta per Sanctam Synodum quocumque modo mouentes, si fuerint Episcopi, vel Clerici, decidant à proprio gradu, si Laici, sine communione permaneant.*

PROP. CONTROVERTIBILES.

Prima: In hoc Concilio, ordine & præcepto Cœlestini Papæ conuocato, fuit Præsidens ipsemet Cœlestinus, non per se, sed per Legatum suum Cyrillum, & hoc absque vllo artificio, & dolo. Tria continet assertio: primò Concilium fuisse de Cœlestini consensu conuocatum: secundò, In eo præsedisse Sanctum Cyrillum Summi Pontificis nomine: tertiò, quoad Lega-

Legationem Cyrilli nullum fuisse dolum, & artificium in Summo Pontifice.

Prima pars probatur à Bellarmino lib. 1. de Concil. cap. 13. ex Prospero, qui in Chronico indicat Synodum Ephesinam factam fuisse Cyrilli industria, & Cælestini authoritate; Euagrio lib. 1. cap. 4. Photio lib de 7. Synodis, ex epist. Cælestini ad Cyrillum, alijsque videndis apud ipsum, & apud Lup. disser. huius Synodi. Sed efficaciùs probatur ex ipsamet Synodo persæpè testante se conuenisse *secundùm Canones*. Tum quia, cum ex vna parte Synodus ipsa in relat. ad Imper. testetur Cyrillum, ante Concilij conuocationem, Legatum fuisse Summi Pontificis in causa Fidei in Synodo pertractata: *Hæc quidem & antea priusquam sanctissima Synodus congregaretur, sanctissimus Cælestinus magnæ Romæ Episcopus, litteris suis significauit, iniungens Sanctissimo, ac dilectissimo Cyrillo magnæ Ciuitatis Alexandriæ Episcopo, vt*

vt vices suas in hac causa subiret. Et ex altera Nicephorus lib 14. c. mihi 33. in fine fateatur Cyrillum petijsse à Theodosio conuocationem Concilij: *Accepto namque Spiritu D. Cyrillus ad ipsum Imperatorem, & eius sorores libellos doctè compositos misit, quibus simul rectam fidei professionem, & peruersam Nestorij vecordiæ opinionem ostendit: Tum autem vt Synodus vniuersalis cogeretur, petijt, vt Nestorij res certò in apertum proferrentur.* Imò & Euagrius lib. 1 cap. 3. prout illum legit Natalis Alexander diss. 7. sęc. 5. licèt quoad hoc punctum nobis oppositus, idem habeat: *Meritò Cyrillum petijsse à Theodosio, vt eius mandato prima Synodus Ephesi congregaretur.* Sequitur manifestè Cōcilium indictum fuisse ex Cælestini consensu, inuerisimile enim omninò videtur, & prorsus incredibile, Cyrillum Cælestini Legatum conuocationem Synodi petijsse absque instructione, & præcepto Summi Pontificis, si non expresse

& in

& in particulari, ſaltem in vniuerſali, Cyrillum Iudicem conſtituendo in dicta cauſa cum plenaria, & omnimoda poteſtate, quòd abundè ſufficit, vt hoc Concilium de Cæleſtini conſenſu conuocatum dicatur.

Probatur denique ex ipſiuſmet Theodoſij verbis infra adducendis, quibus Imperator nefas eſſe, ait, ſæcularem ſe immiſcere Eccleſiaſticis negotijs, quale eſt proculdubiò Oecumenici Concilij conuocatio; ſignum non leue ipſum Epheſinam Synodum de conſenſu Summi Pontificis indixiſſe.

Ex dictis rationibus contra ſe adducit ſolummodò citatus Natalis illam ex ipſamet Synodo deductam, aſſerente, ſe conueniſſe *ſecundum Canones*, & reſpondet; *conueniſſe Synodum iuxtà Canones, quia ſecundum Eccleſiæ morem conuenit, qui in Concilio Epheſino perinde ac in Nicæno, atque Conſtantinopolitano ſeruatus eſt, Theodoſio iuniore,*

Con-

Constantini Synodum Nicænam, & Theodosij senioris Constantinopolitanam cogentis, exemplum sequente. Sed in hac responsione sibi seipsum more solito opponit Natalis, primò, quia cum ex vna parte quæstio præsens non sit an hoc Concilium fuerit à Theodosio conuocatum, quod est certum, sed an fuerit congregatum de consensu Pontificis summi, & ex altera fateatur Natalis Synodum conuenisse *secundum Ecclesiæ morem* Constantini exemplum adducens, sequitur manifestè, quòd si Constantinus Nicænum Concilium coëgit ex S. Siluestri consensu, etiam Theodosius Ephesinam conuocarit Cœlestino consentiente. Constantinum autem nonnisi de S. Siluestri consensu Nicænum conuocasse Concilium, est apertissima Natalis sententia diss. 11. sæculi 4. vbi probat ex Ruffino, & Synodo sexta generali contra Launoiuum propositionem sequẽtem: *Constantinus Concilium Nicænum absque assensu Siluestri Pontifi-*

cis maximi non conuocauit. Alia itidèm omninò ſimilis contradictio eſt in eadem reſponſione, attenta Natalis doctrina, quam habet, diſs. 11. ſæculi 4. vbi ex Theodoreto fatetur Theodoſium ſeniorem, æquè ac Conſtantinum, non niſi ex conſenſu Summi Pontificis Conſtantinopolitanum conuocaſſe Concilium. Et hæc quidem ad hominem contra Natalem, nam iuxta noſtra principia, cum ſuis locis ſit abundè probatum, tàm Nicænum, quàm Conſtantinopolitanum Cōcilium conuocata fuiſſe de conſenſu Pontificis Summi, ratio deducta ex verbis, quibus Synodus hæc fatetur ſe conueniſſe *ſecundum Canones* manet in ſuo robore, vt patet.

Natali nihilominùs parcerem, ſi pro ſe validas rationes adduceret: plures quidem ipſe congerit, quibus concluditur ſolùm, Concilium indictum fuiſſe à Theodoſio; Theodoſium conuocaſſe Concilium &c. quod, vt diximus, extra controuer-

trouersiam est. Siquidèm similitèr Scriptores loquuntur de Constantino in ordine ad Nicænum Concilium: Socrates lib. 1. hist. cap. 5. *Imperator . . . . . generale Concilium conuocat.* Sozomenus lib. 1. hist. c. 16. *Constantinus indicit Concilium.* Gelasius Cyzicenus lib. 2. de actis Nicæni Concilij cap. 5. *Imperator ..... generale Concilium conuocat.* Nicephorus lib. 8. hist. cap. 14. *Imperator . . . . Nicænam Synodum promulgat*, & alij videndi apud ipsum Natalem diss. 11. sæcul. 4. cit. & tamen non sequitur Constantinum absq; consensu Siluestri Papæ Cõcilium Nicænum conuocasse, vt eadem diss. fatetur Natalis.

Scio nihilominùs, Petrum de Marca Archiep. Parisiensem notissimum, indictionem, & conuocationem Concilij tribuere Nestorio volenti Romanæ, & Alexandrinæ Synodi sententiam eludere, quasi per appellationem ad generale Cõcilium, vellet eam sententiam suspendere, & Imperatorem Theo-

dosium, vtpotè amicum Nestorij, eius rogatu indixisse Concilium. Scio Nestorium in ep. ad Cœlestinũ excriptam à Mario Mercatore edito à Ioanne Garnerio in sua secunda par. pag. mihi 80. innuere, quòd *Cyrillus euitare studebat sacram Synodum, quæ futura erat contra eumdem Cyrillum, & quod placuerat pijssimis Imperatoribus Synodum inexcusabiliter totius Orbis terrarum indicere propter inquisitionem aliarum rerum Ecclesiasticarum*. Scio inde Commentatorem Mercatoris Garnerium in eam esse sententiã, quòd Nestorius in causa fuerit indictionis Concilij, & quòd à S. Cœlestino non fuerit indicta ea Synodus, pro vt in sua dissert. quæ eam epistolam subsequitur, habet, & quem videtur exscripsisse Natalis in suis solutionibus: Sed Marcam ibidem optimè Garnerius idem oppugnat, quia sententiæ contra Nestorium non habetur mentio, neque in indictione Concilij, neque in epist. Nestorij ad Papam, adeòque non

datur

datur locus veræ appellationis. Licet autem non dissentirem, quòd Nestorius fretus amicitia Principis eiusque aulæ potentia petijsset priuatim ab Imperatore Conciliũ generale, sperans victoriam suæ hæreseos, & oppugnationẽ aduersantium sibi Episcoporum, vt sic communius, & validius fieret peruersum dogma, tamèn id non tollit, quominùs etiam Cyrillus idem petierit ab Imperatore, cum id optauerit, tamquam illis temporibus, & circumstantijs accomodatum remedium, & habuerit authoritatem à Romano Pontifice hanc causam iudicandi, modo, qui visus ipsi fuisset oppotunior. Sed subdolus Hæresiarcha suam solùm petitionem expressit, & Cyrillum mendaciter induxit, quasi pauidũ, & latebras quærentem, & sic plures Scriptores decepit. Manifestissimũ mendacium Nestorij præter alia elucet in eo quòd indictam Synodum ab Imperatore asserat ob alias causas Ecclesiasticas, quasi illæ es-

ſent primariæ ; nam edictum Imperiale apertiſſimè prohibet, ne vlla cauſa Eccleſiaſtica in Concilio agitetur, antequam propoſita de Neſtorij dogmate eſset abſoluta, per quod ſufficienter expreſſit hanc præcipuè fuiſſe conuocationis cauſam. Conſtat ergo Concilium hoc generale vtpotè petitum à Cyrillo (etiamſi concederetur ſimul à Neſtorio) repræſentante Perſonam Pontificis, vt habet Photius in lib.6. de 7. Synodis, à Cœleſtino Pontifice ſaltem per ſuum legatum Cyrillum fuiſſe conuocatum. Ad conuocationem enim ſufficit, quod ab Imperatore petita fuerit conuocatio, ſiquidem perinde erat quòd Pontifex mitteret literas ad Epiſcopos conuocatorias, vel quòd hanc voluntatem indicaret Imperatori, prout alibi vidimus præſertim in fine Nicæni Concilij contra Edmundum Richerium.

Secunda pars, quoad Cyrilli præſidentiam in confeſſo eſt apud om-

omnes historicos, Photiũ, Prospe-rum, & Euagrium citatos, Nicephorum lib.14. c.34. Liberatum in Breuiar.cap.15. apud Bellar.cit. c.19. Nobis, breuitatis ergo in re adeò certa, vt nullis grauandam probationibus censuerit Lupus, sufficiat auctoritas, tùm ipsiusmet Imper.Theodosij, qui in epistola ad Synodum satis ostendit, quàm longè fuerit mens eius à Præsidentia Concilij, dum asserit se prohibuisse Candidiano Comiti suo Legato, ne quidquam haberet commune cum quæstionibus Fidei: *Nefas est enim, qui Sanctorum Episcoporum Cathalogo adscriptus non est, illum Ecclesiasticis negotijs, & consultationibus sese immiscere.* Item Cœlestini Papæ, qui in epist. quæ habetur tom.1.actor.Ephes.Concil. fol.mihi 271.hæc habet: *Quia verò in re tàm ardua, nostra præsentia propemodum necessaria videbatur, neque tamen propter interiectum mare, longique itineris interuallo commodè satis id fieri queat, fratri nostro Cyrillo*

manus, nostramque Personam imposuimus.

Tertia pars, nullum videlicet in Cœlestino dolum fuisse, quoad delegationem factam Cyrillo, qui aliàs præsidere debebat, probatione non indigeret, contrarium enim caret omni penitùs fundamento, vtpotè inane Caluini figmentum, nihilominùs ab eruditis viris probatur primò ex ipsamet Synodo, quæ ad Nestorij damnationem se à Cœlestino compulsam fuisse fatetur verbis illis, quæ habentur tom. 2. Ephes. Concilij cap. 10. *Sanctissimi Romanæ Ecclesiæ Episcopi Cœlestini Patris nostri litteras lacrymis suffusi & penè inuiti ad lugubrem hanc sententiam vrgemur.* Secundò ex extimatione, in qua apùd Oriētales fuit habitum Priuilegium à Cœlestino, Cyrillo datum, & ex Phrygio, quo ex illo tunc vsus est Patriarcha Alexandrinus, vt inter alios refert Photius in nomocanone t. 9 cap. 1. *Huius temporis Patriarcha Alexandrinus ius habet, vt cum*

cum Phrygio celebret. Habuit autem hanc facultatem S. Cyrillus à Romano Papa Cœlestino, quando coacta est Ephesina Synodus aduersus Nestorium. Cum non posset Cœlestinus adesse Ephesi, & iudicare Nesterium, visum est, vt S. Cyrillo à Cœlestino permitteretur, quæ particula est valdè notanda, *Synodo præsidere.*

Inter has autem, & similes rationes efficacissima mihi videtur sequens deducta ex paritate aliorũ Summi Pontificis Legatorum. Si enim Cœlestinus astutia, & dolo constituisset Legatum S. Cyrillum, qui aliàs præsidere debebat, hoc fuisset, quia alteri committendo legationem, hic, vt Legatus non fuisset exceptus, nec alia huius rei videtur excogitabilis ratio: Hoc autem motiuum vanum prorsùs esse, & ridiculum manifestè colligitur ex Arcadio, & Proiecto Episcopis, & Philippo Presbytero, qui ad eandem Synodum, vt Legati missi sunt à Pontifice, & vt tales à Synodo cum veneratione


excepti. Quòd si petas cur de Cyrillo specialis fieri soleat mentio? Respondeo hoc euenire, tùm quia Cyrillus reliquis Legatis principalior, tum quia tres reliqui nonnisi post latam Nestorio sententiam Ephesum peruenere, relectisque actis iudicij ea omnia confirmarunt.

Addendum remanet, quod Christianus Lupus Synodi præsidentiã per diua es, seù imperiales literas asserat fuisse Cyrillo interdictam. Quod censeo intelligendum solummodò de interdictione facta post latam in Nestorium damnationis sententiam, cum Cyrillum carceris condemnauit; sed iniqua, & iniusta interdictio fuit, nedùm quia Imperatoris non erat, sed solius Summi Pontificis Cyrillum præsidentia priuare, verùm quia ipsemet Imperator id fecit deceptus Candidiani comitis, & Ioannis Antiocheni astutia, & dolo.

LOCA

LOCA LIBRORVM in quibus tractatur de discussis in hac Synodo.

ALbertus Magnus in 3. sentent. d. 11. c. 12. Nicephorus, Liberatus Archidiaconus Carthag. in suo Breuiario. Vincentius Cyrinensis 2. part. commonitorij cap. 2. Bellarminus l. 1. de Concilijs c. 19. Binnius, Baronius, Spondanus, alijque epitomatores ad annum 431. Franciscus Longo, Carranza, Bail, Lupus, Boyuinus, Cabasutius ad Ephesinum Photius lib. 6. de 7. Synodis. Ioannes Garnerius 2. par. pag. mihi 80. Petrus de Marca, alijque non pauci.



CONCILIVM

CHALCEDONENSE VNICVM.

Celebratum in Templo Sanctæ Euphemię Anno Christi 451.

Præsidente Leone I. Summo Pontifice per suos Legatos Paschasinum, & Lucensium Episcopos, & Bonifacium S.R.E. Presbyterum.

Tempore Valentini, & Marciani Imperatorum.

Conuenientibus Episcopis 636.

Pro sustinenda duplici Natura in Christo Domino, Diuina videlicet, & humana contra Eutycheten.

SVM-

SVMMARIA CHALCED. Concilij Historia.

NEstoriana hæresi profligata aliam illi oppositam protulit Eutyches Presbyter, & Archimandrita, qui adeò ardenter ad excludendas duas Personas contra Nestorium disputauit, vt vnicam in Christo Domino Naturam affirmarit, nempè diuinam, à qua aiebat, humanam fuisse consumptam. Eutychen ad veritatis agnitionem reducere conatus est Flauianus in Sede Constantinopolitana Procli successor celebrans Constantinopoli triginta Episcoporum Concilium, ad quod post iteratas vocationes comparens Eutyches, cum in errore persisteret fuit à Presbyterorum ordine, & officio Archimandritæ semotus. Ira incensus Eutyches scripsit querimoniarum plenas epistolas Summo Pontifici, qui illi benignè respondit,

pondit, ſed mox acceptis Flauiani epiſtolis, certior effectus de Eutychetis malitia, confirmauit ipſius damnationem. Cæſarem adijt Eutyches, & fauore Chryſaphij Eunuchi Cæſaris amiciſſimi noua Conſtantinopoli indicitur particularis Synodus, in qua ſinceritas innotuit Flauiani, iterumque Hæreſiarcha eſt condemnatus.

Inſolentior nihilominùs effectus Eutyches Dioſcorum Epiſcopum Alexandrinum hominem perditiſſimum allicit ad ſuas partes, qui Imperatorem ad Oecumenici Cōcilij conuocationem inducit. Ad hoc Concilium, quod Epheſi ſecundò poſt nouendecim annos à præcedenti fuit conuocatum, acceſſere tres Leonis Pontificis Summi Legati, nempè Iulianus Epiſcopus Puteolanus, Renatus Presbyter tit. S. Clementis, & Hilarius Diaconus, qui poſtea fuit Pontifex Summus, cum epiſtolis ad Flauianum, ad Theodoſium, & ad ipſammet Synodum; Acceſſit Dioſcorus,

ſcorus, cui Cæſar cauſæ vniuerſæ cognitionem demandauerat; Acceſſit Elpidius Comes ſub prætextu Synodi defendendæ, ſed reuera vt omnem adimeret Epiſcopis poteſtatem, qui Eutychetem damnauerant. Concilii initio impeditur Legatis Leonis epiſtolarum lectio, ipſiſque locus, & debitus honor aufertur, Epiſcopi catenis conſtricti afficiuntur verberibus, tabulæ Synodi diſcerpuntur, ſolique Dioſcori conſortes ſibi iudicium vindicantes Prælatos cogunt, vt ſe ſubſcribant. Flauianum illos Romam appellantem, ad necem vſque plagis afficiunt, Eutycheten in pristinum reſtituunt gradum, ipſius ſymbolum approbant, totque alia committunt flagitia, vt Conciliabulum illud Concilium latronum iure fuerit appellatum, & vt tale à Summo Pontifice reprobatū excommunicato Dioſcoro prædonum omnium capite, qui inaudita audacia contra Pontificem ipſum anathema tulit.

Anno

Anno sequenti, licet facti pœnitens moritur Theodosius, qui priùs nec Summi Pontificis monitis, nec Valentiniani precibus induci potuit, vt per nouum, validum, & liberum Concilium, quæ metu, & violētia facta fuerant Ephesi, nouo subijcerentur examini. Succedit Theodosio pijssimus Marcianus, qui Leonis præceptis obtemperans Episcopos omnes Nicęam Bithinię conuocat, dein Synodum Nicæa Chalcedonem transfert, vbi conuenere Patres 636. In hac Synodo, cui præsedere tamquam Pontificis Summi Legati, Episcopi Paschasinus, & Lucentius, & Presbyter Bonifacius, habitæ sunt sexdecim actiones, in quibus Flauianum iniustè depositum fuisse, ac immaniter occisum sancitur, Dioscorus deponitur, Eutyches, eiusque dogma damnatur, & à Legatis Apostolicæ Sedis, ac ab Anatolio Constantinopolitano Fidei formula proponitur, quæ ad Imperatoris præsentiam lecta, à tota Synodo

est

eſt approbata, & ab Epiſcopis omnibus ſubſcripta:

Ex dictis autem ſexdecim actionibus ſolas ſex in quibus Fidei cauſa fuit agitata à Summo Pontifice approbatas fuiſſe, non autem reliquas, in quibus de priuatis cauſis eſt actum, probabimus propoſ. 1. controu. Synodi generalis quintæ, Constantinopolitanæ ſecundæ.

RATIONES EVTYCHETIS pro vnica Natura in Christo admittenda.

VAriant adeò Sectatores Eutychiani erroris in explicāda vnitate naturæ, vt in multas ſectas inter ſe quoque pugnantes, Hæreſis ſit diuiſa. Vndè non mirum quòd Authores in referendo huiuſmodi prauo dogmate diſcrepent. Id quod certum videtur eſt, Eutychem vnam in Christo Domino admiſiſſe Naturam, videlicet Diuinam, vndè de ipſo Gelaſius

Pon-

Pontifex lib. de duabus naturis in Christo ait: *Qui vnam hoc est solam Diuinitatem conatur asserere*, & Vigilius Papa lib. 2. aduersus Eutychetem: *Eutyches respiciens vnam Personam, vnam inquit esse Naturam, & ob hoc humanam ausus est denegare.*

Eutychianus autem hic error Vasquezio teste in 3. p. D. Th. to. 1. d. 14. cap. 3. adeò fundamentis est destitutus, vt nullum pro ipso adduci possit Scripturæ, aut Patrum testimonium, præter quam Cyrilli, & Athanasij prauè intellectum ab impijssimo Hæresiarcha, de quo act. 1. huius Concilij legitur: *Presbyter Eutyches dixit*: *Ego legi scripta B. Cyrilli, & SS. Patrum, & S. Athanasij, quoniam ex duabus naturis dixerunt ante adunationem, per adunationem verò & Incarnationem iam non dixerunt duas naturas, sed vnam.* Verba autem, ex quibus errorem suum colligebat Eutyches sunt illa, quæ ex D. Athanasio refert Cyrillus lib. de recta fide ad Reginas; *Confitemur etiam ipsum esse Filium Dei,*

Dei, & Deum secundum Spiritum, & Filium hominis secundum carnem, non duas Naturas vnum Filium, vnā, quæ adoratur, & vnam, quæ non adoratur: sed vnam naturam Dei Verbi incarnatam, & adorabilem cum carne sua vna adoratione. Ex quo testimonio poterat etiam illa ratio deduci, quod si essent duæ naturæ, non vna adoratione adoraretur Christus, sed duplici.

RATIONES CONCILII Contra Eutycheten.

TRipliciter error Eutychianus potest explicari, primò, quòd in Christo Domino natura humana fuerit penitùs consumpta à diuina, sicque explicatus infringitur primò omnibus Scripturæ locis Concil. præced. relatis contra Nestorium, quibus Christus nedùm perfectus dicitur Deus, sed etiam perfectus homo, quod dici non possset, nisi in ipso integra mansisset humana natura.

Se-

Secundò per partes, quia in Christo fuit verum corpus, & vera Anima rationalis. De corpore probatur illis Scripturæ locis, quibus Christus dicitur passus, mortuus, resuscitatus, qui verificari debent de corpore, nisi dicatur, *quod omnium indignissimum, atque atrocissimum est*, vt Nazianz. orat. 4. verbis vtar, *ipsum Vnigenitum Deũ omnium Iudicem, vitæ Auctorem, mortis Extinctorem mortalem esse, propriaque sua Diuinitate passum esse.* Et Tertullian. lib. 4. aduersus Marcionem, negato Christi corpore omnia eius opera mendacia, & figmenta fuisse probat: *Iam nunc cum mendacium deprahenditur Christus caro, sequitur vt & omnia, quæ per carnem Christi gesta sunt, mendacio gesta sint, contactus, conuictus &c.* & infra. *Porrò si caro eius negatur, quomodo mors eius asseueratur, quæ propria carni est?* Insuper probatur carnis veritas ex illo Christi Domini: *Palpate, & videte, quia spiritus carnem, & ossa non habet, sicut*

me

me videtis habere ; ex quibus sic pro veritate carnis Christi arguit Aug. l. de cont. c. 10. *Quomodo est in eorum doctrina veritas, quæ id prædicat, quod in carne Christi erat falsitas? Quomodo in Christo non erat vllum malum in quo erat tàm grande mendacium? Quia videlicet hominibus nimium mundis malum est caro vera, & nō est malum, falsa pro vera? Malum est caro vera nascentis ex Dauid semine, & non est malum lingua falsa dicentis Palpate, & videte?*

Demonstrata veritate Corporis Christi ostenditur ab eodem Aug. cap. 13. contra Felicianum veritas rationalis Animæ, quia: *si originem vtriusque* Animæ, & Corporis, *gnarus rerum contemplator attendas, prætiosior est Animæ substantia: si trāsgressionis culpam propter intelligentiam peior est causa. Ego autem Christum, & perfectam sapientiam dico, & scio & pijssimum esse non dubito, quorum primo meliorem & prudentiæ capacem non despexit: secundo, eam, quæ*

constat Christum esse nomen Personæ Diuinæ, Verbi vnitã habentis naturam humanam suæ hypostasi, non enim natura humana, & natura diuina sunt capaces, vt sint partiales naturæ, sicut sunt corpus & anima, ad tertiam conflandam.

Explicari potest secundò Eutychetis error, quòd vnam admiserit naturam in Christo Domino, veluti ex humana, & diuina compactam, sicque intellectus cum adhùc neget in Christo integram permãsisse humanam naturam infringitur rationibus modò allatis, quibus addendum nobile contra hanc explicationem, & efficax argumentum Ferrandi ep. ad Seuer. num. 7. *Quoties ex duobus fit aliquod vnum, noua res fit, & si noua res fit, nouum necessarium naturæ nomen existendo nouiter sumit. v. g. alia est in nobis natura Animæ, alia Corporis, illa spiritualis, ista terrena, illa inuisibilis, ista visibilis, & quia ex his duabus vna facta est natura, nouum naturæ nomen adepta est, vt vocaretur homo.*

Sepa-

Separatim enim dicitur Anima, separatim Corpus, simul autem Corpus & Anima rectè nuncupatur homo. Nec natura Animæ est natura Corporis, nec natura Corporis est natura animæ, simul autem constans ex natura Animæ, & Corporis vna est natura humana. Proinde si diuina natura, & humana natura confirmantur vnam fecisse naturam, inueniatur etiam suam naturam, quæ nec diuina appelletur, nec humana, sed sicut noua, ita nouo nomine nuncupata.

Denique potest explicari fuisse quidem in Christo Domino naturam humanam, & diuinam absque mutatione, & confusione vlla, sed vtramque in vnam coaluisse, modo quo anima & corpus coalescunt in hominem, & hic non est propriè error Eutychetis, sed semi-Eutychianorum, & Acephalorum, contra quos optimè insurgit Leontius act. 7. de sectis sic dicendo: *Christus ergo nec eiusdem cum Patre, nec eiusdem nobiscum est substantiæ, quemadmodum Petrus, nec eiusdem est cum Ani-*

Anima, nec eiusdem cum corpore substantiæ. Quamobrem & Christus nec propriè Deus est, nec propriè homo, nec Deus natura, nec natura homo, nec vnus Sancta Trinitatis, nec vnus ex nobis, sicut Petrus, *nec vnus ex Animabus est, nec vnus ex Corporibus. At huiusmodi de Christo dicere, nihil est aliud, quam indubitata principia, quæ habemus subuertere.*

Ad Patrũ auctoritates dicimus ipsos naturæ nomine accepisse Hypostasim & Personam. Ita Cyrillum explicat Iustinianus Imper. in edicto Fidei ad Ioa. 2. quod extat in 2. to. Concil. *Vnde & ipse Pater quoties vnam naturam dixit Verbi incarnatam, naturæ nomine pro subsistentia vsus est.* Et ipsemet Cyrillus lib. ad Euoptium in defensione secundi anathematismi contra Theodoretum naturam sumit pro hypostasi, dicens: *Nos cum illius dictis pugnantes, vnionem secundum subsistentiam factã esse dicimus, nihil aliud, dicendo secundum subsistentiam significare volentes, quam hoc solum,*

quod Verbi natura, hoc est subsistentia quæ est ipsum Verbum, humanæ naturæ verè vnitum sit. Idem habet Maxentius in sua Fidei confessione quæ est tom. 5. Biblioth. PP. sic discurrens: *Propter quod nec illam sententiam, quam quasi contrariam quidam Synodo æstimant, idest vnam naturam Verbi incarnatã aucrtimus, quia nihil aliud nisi vnam subsistentiam, siue personam in duabus naturis docet vnitis.*

Cœterùm, pro harum & similiũ auctoritatum solutione semper est habenda præ oculis celeberrima Angelici Pręceptoris doctrina initio opusc. 1. contra Græcos, quòd nempè SS. Patres maiori circumspectione loquuti sint post errores Fidei exortos, quàm ante: *Vndè si aliqua in dictis antiquorum Doctorum inueniuntur, quæ cum tanta cauthela non dicantur, qnàm à modernis seruatur, non sunt contemnenda, aut abijcienda, sed nec etiam ea extendere oportet, sed exponere reuerentèr*: In cuius doctrinæ confirmationem affert

affert S. Doctor exemplum Sancti Augustini, *qui in suis libris quos post exortam Pelagianorum hæresim edidit, cautiùs loquutus est de potestate liberi arbitrij, quam in libris, quos edidit ante prædictæ hæresis ortum, in quibus libertatem arbitrij contra Manichæos defendens, aliqua protulit, quæ in sui defensionem erroris assumpserunt Pelagiani diuinæ Gratiæ aduersantes*. Cum igitur in proposito S. Cyrillus scripserit contra Nestorium duas Personas in Christo admittentem, ante Eutychianæ hæresis ortum, nil mirum, si probando vnitatem Personæ, videtur quodammodò inclinare in vnitatem Naturæ, non per hoc autem est contemnendus, aut abijciendus, nec ex eius dictis capienda erroris occasio, sed reuerenter est exponendus.

CHALCEDONEN. CAN.

Breuiculum notulis interiectum.

Can.1. *A Sanctis Patribus in vnaquaque Synodo vsque nunc prolatas regulas tenere statuimus.*

Can.2. *Episcopus ordinationem aliquam faciens per pecunias, cum ordinatis depositiositionis pœnæ subiaceat. Mediator ordinationis simoniacæ, si Clericus deponatur, si Laicus anathematizetur.*

Can.3. *Clericis aut Monachis non liceat, nec possessiones conducere, nec curis sæcularibus sese immisceri, Pupillorum ac viduarum causis exceptis, & rerum Ecclesiasticarum tutela de Episcopi facultate, alitèr Ec-*

clesia-

clesiasticæ correctioni subiaceant.

Can. 4. *Monachis non liceat Monasteria, vel Oratoria ædificare, nec curas Seculares assumere sine Episcopi cui subiacere debent consensu. Hæc prætereuntes extra communionem esse decernitur.*

Collige ex hoc & similibus Canonibus Monachos subiectos olim fuisse Episcopis in omnibus, & per omnia, sed deinde quoniam Episcopi, Archiepiscopi, & Patriarchæ suarum Diœcesum administratione occupàti, nedùm de Monasterijs parùm erant solliciti, sed & Monachis grauamina multa inferebant, quorum 27. numerantur in cap. *nimis iniqua*, & cap. *nimis praua* de excessibus Prælatorum, & 30. in Concil. Vienn. sub Clemente V. Sedi Apostolicę conuenientissimum visum fuit exemptiones concedere omnibus ferè Congregationibus, & Religiosis, ac sibi immediatè subijcere

 bijcere

bijcere, quod quàm expediens fuerit, ostendit felicissimus rerum euentus, legatur Asç. Tamb. tom. 1. de iure Abb. disp. 15. q. 3. Licet & aliud caput assignari queat, nempè honoris gratia, sicuti Episcopi aliqui à suis Metropolitanis exempti fuere.

Can. 5. *Episcopis, vel Clericis transitus de Ciuitate in Ciuitatem non liceat, pro vt à Sanctis Patribus est definitum.*

Definitionem in hoc canone citatam, habes can. Nic. 15. & 16. & Sardicensi 1. & 2.

Can. 6. *Presbyter vel Diaconus nemo ordinetur sine Ecclesiastico titulo ciuitatis, possessionis, aut martyrij alias depositionis pœnæ subiaceat.*

Clariùs demonstrat hic Canon olim non licuisse, regulariter saltē ordinationem sub titulo Patrimonij, quod nos supra collegimus ex can. 16. Nic.

Can. 7.

Can. 7. *Clericatui, vel Monasterio deputatis militiam, vel sæculares honores assumere non liceat sub pœna anathematis, nisi statim pœniteant.*

Can. 8. *In Parochijs, Monasterijs, aut Martyrijs constituti, Episcopo sint subditi, aliàs si Clerici subiaceant Canonum pœnis, si Monaci vel Laici communione priuentur.*

Ex hoc & alijs Canonibus in quibus Monachi Laicorum non Clericorum pœnis declarantur subiecti infer priscis temporibus Monachos non fuisse Clericatui addictos, adeoque quod ipsis competat Clericatus per accidens, vt loquitur S. Tho. apud Asc. Tamb. tom. 1. de iure Abb. disp. 25. qu. 1. num. 90. Ex causa tamen necessitatis fuit semel à Gelasio Papa concessum quibusdam Monachis Clericari in Clericorum defectum, remanentibus saluis antiquis statu-

 tis.

tis. Concessit etiam Gregorius Monachis, vt possent Clericari, & oblatis viuere, non tamèn passim, & indistinctè, sed si fuissent docti, & vitæ probatæ. In statu Laicali perseuerarunt Monachi, vt testatur Gratianus vsq; ad tempora Eusebij, Zosimi, & Siricij. Quæ omnia fusiùs pertractata curiosus inueniet apud Tambur. cit.

Can. 9. *Clericus negotium habens aduersùs Clericum deferat illud ad Episcopum, & non ad Iudices Sæculares. Si aduersùs Episcopum apud Arbitros ex vtraque parte electos audiatur. Si aduersùs Metropolitam ad Diœcesum Primatem, aut Constantinopolitanum Episcopū causa deferatur.*

Vide propositionem 3. controuertibilem.

Can. 10. 11. *Non liceat Clericum in Ecclesÿs duarum Ciuitatum ordinari. Nec de vna*

in aliam Ciuitatem se transferre, sed in illa permaneat, in qua ab initio est ordinatus. Quod si de Superiorum licentia transferatur, nihil habeat cum priori commune. In qualibet Prouincia vnicus habeatur Metropolita. His contraueniens decidat è proprio gradu.

Can. 12. *Clerico, & Lectori extra suam Ciuitatem sine commendatitijs literis proprij Episcopi ministrare non liceat.*

Quænam, & quot fuerint litteræ commendatitiæ habes in not. can. Sardic. 9.

Can. 13. *Psalmistis, & Lectoribus non licet ex aliena secta vxores ducere. Si ante hunc Canonem nupserint, & habent filios, illos si non fuerint baptizati ab hæreticis, ab ipsis baptizari non sinat, si fuerint*

baptizati, Ecclesiæ Catholicæ offerant, vt ibi communicent. Illos verò in matrimonio non liceat iungere cum Iudæo, Hæretico, vel Pagano, nisi hi sponderint se venire ad Catholicam fidem.

Clericis vxorem ducere, si voluerint, licitum esse statuit canon Apost. 27. hoc canone autem prohibetur vxores infideles sumere. Baptizatos ab hæreticis rebaptizari non iubentur, subde, si fuerint baptizati iuxta formam Catholicæ Ecclesiæ.

Can. 14. 15. *Diaconissa ante 40. annos nulla ordinetur. Post ordinationem se nuptiis tradens anathematizetur, similiter Virgines Deo dicatæ, & Monachi. Potest autem his fieri aliqua humanitas, si Episcopo visum fuerit.*

Obserua primò nō semper in Ecclesia

clesia fuisse Diaconissas Virgines, sed Viduas, Virgines verò admisis se tertium sęculum, de quo perlege Lupum in illustrat. huius Canonis. Aetas pro Diaconissis à D. Paulo stabilita fuit 60. annorum, hoc Canone reducitur ad 40. ob rationẽ quam dat Synodus Trullana. *In diuino Apostolo scriptum est, sexaginta annorum Viduam in Ecclesia eligendam; sacri autem Canones, 40. annorum Diaconissam ordinandam esse statuerunt, cum Dei Ecclesiam Dei gratia potentiorem euasisse, & vlterius procedere vidissent, fideliumque ad Diuinorum mandatorum firmitatem, ac stabilitatem.* Reliqua de Diaconissis notanda habes in notat. can. Nic. 19.

Can. 16. *Parochiæ rusticanæ Episcopis, qui per annos 30. eas gubernauerunt, sine violentia sint subditæ. Si intra annos 30. orta fuerit dubitatio ad Prouinciæ Synodum: Si quis verò se à Metropolitano grauatum*

tum agnouerit ad Diœceseos Primatem, aut ad Constantinopolitanum Episcopum examen committatur.

Vide proposit. 3. controuertibilem.

Can. 17. *Clerici, vel Monachi factiones aliquas, vel coniurationes facientes in suos Episcopos, vel alios, decidant à proprio gradu.*

Can. 18. *Duo quotannis Concilia celebranda Prouincialia ad quæ non conuenientes Episcopi corripiantur.*

Citatum hunc Canonem habes in not. can. 5. Nic. 1.

Can. 19. *Clericis ordinationem accipere ab Episcopo alieno non liceat, nisi proprias Ecclesias perdiderint, & ex necessitate ad alias Ecclesias migrauerint. Contraueniens, & suscipiens, & susceptus excommunicati maneant*

neant, vſque dùm Clericus fuerit ad propriam Eccleſiam reuerſus.

Can.20. *Accuſatores Epiſcoporum, vel Clericorum non admittantur, niſi priùs diſcutiatur eorum exiſtimationis opinio.*

Definitionem eandem habes in can.8.Conſtantinop.1.

Can.21. *Clericis non liceat bona Epiſcopi defuncti diripere ſub pœna deiectionis à proprio gradu.*

Can. 22. *Monachi ſine Epiſcopi ordine Conſtantinopolim aduentantes, niſi poſt monitionem ad propriam redeant Ciuitatem per Defenſorem redire compellantur.*

Defenſoris nominè vſus fuit primò Caius Pontifex, vt obſeruat Baronius ad annum 286. cum Defenſorem creauit S.Sebaſtianum

Defen-

Defenſoris officium erat Eccleſiæ iuriſdictionem defendere, & Pauperum cauſas patrocinari, vndè dicebantur etiam Epiſcoporum Adiutores. Ad ipſos quoque ſpectabat Monacos, & Clericos errantes corrigere, vt præſens Canon oſtendit, Cauſas Eccleſiaſticas iudicare, vndè etiam dicti erant Scholaſtici Defenſores. His ſucceſſere Aduocati Conſiſtoriales, quorum Collegium ex ſeptem ſolis conſtans, ad numerum duodenarium ampliauit Sixtus V. Pontifex Maximus. De his videndus inter alios Dominicus Magri in notat. vocab. Eccl. verbo *Defenſor*. An autem Defenſores fuerint ſoli Clerici, vel etiam Laici? Chriſtianus Lupus adductis pro vtraque parte congruentijs, reſoluit, prioribus ſæculis fuiſſe Laicos per Principem delegatos ad preces Epiſcoporum, poſtmodùm verò, quia ab illis derideri cœpit Eccleſia, munus in ſolos Clericos fuiſſe translatum. Quod cum alijs notab. vide apud ipſum

ipſum in illuſtratione huius Canonis.

Can. 23. *Monaſteria erecta, & dedicata Epiſcoporum conſilio, conuertens in Sæcularia habitacula, ſubiaceat ordinationibus Canonum.*

Ponitur in hoc Canone particula; *Epiſcocoporum conſilio* conformiter ad canon. 4. prohibentem monaſteria ædificari ſine Epiſcopi, cui tunc Monaci ſubiecti erant, licentia. Alitèr erecta non comprehendit Canon, illa pro veris Monaſterijs non habens.

Can. 24. *Electio Epiſcopi in locum defuncti vltra tres menſes Metropolitanus, niſi neceſſitate coactus non proroget. Bona Eccleſiæ viduatæ àb eiuſdem Oeconomo conſeruentur.*

Huius Canonis meminit D. Greg. Papa ſcribens ad Conſtantium Archiepiſc. Mediolanenſem: *Sacri Canones vltra tres menſes Eccleſiam*

pra-

præcipiunt non vacare. epiſt. 14. & epiſt. 39. ad Archiepiſc. Rauennæ: *Vltra tres menſes Eccleſiam vacare Pontifice, ſtatuta* Sacrorum *Canonum non permittunt*. Fit mentio in hoc Canone de *Oeconomo*, qui in quolibet Epiſcopatu eligi debebat Eccleſiaſticorum omnium votis, & ad eum pertinebat: *Reparatio Baſilicarũ atque conſtructio, actiones Eccleſiæ in iudicijs, vel in proferendo, vel in reſpondendo, Tributi quoque acceptio, & rationes eorum, quæ inferuntur. Cura agrorum, & cultura vinearum Cauſa poſſeſſionum, & ſeruitialium,* Stipendia *Clericorum, & Viduarum, & deuotarum pauperum, Diſpenſatio veſtimenti, & victus Domeſticorum Clericorum, Seruitialium quoque & Artificum, quæ omnia cum iuſſu, & arbitrio ſui Epiſcopi ab eo impleantur.* Ita D. Iſidorus apud Dom. Magri cit. verbo *Oeconomus*. Ad Oeconomum quoque ſpectaſſe Eccleſiæ viduatæ bona cuſtodire præſens Canon decernit, non quidem de nouo, ſed veterem confirmans con-

consuetudinem, Ephesina enim Synodus Oeconomis Ecclesiæ Cõstantinopolitanæ proprio viduatæ Antistite hoc ipsum adiunxit: *Sedulò proinde omnia, quæ ad Ecclesiã pertinent, custodite, vt rationem illi reddituri, qui ordinandus est Ecclesiæ Constantinopolitanæ Episcopus.* Quod & in alijs Concilijs particularibus legitur. Vndè si aliquando contigerit alicubi non reseruari, priuilegium fuit, & exemptio à lege Ecclesiastica vniuersali propter aliquam insurgentem necessitatem, cui etiam Ecclesia subsidium ferebat, vel vsurpatio, cui agerem opposuit Concilium Lugdunense generale sub Gregorio X. ne vlteriùs progrederetur.

Can. 25. *Quilibet Episcopus Oeconomum habeat de suo Clero, qui cum eius arbitrio bona Ecclesiæ gubernet, alitèr diuinis regulis subiaceat.*

Can. 26. *Clerici raptores mulierum decidant à proprio gra-*

gradu, Laici anathematizentur.

Can. 27. *Episcopus Constantinopolitanus æqualibus cũ Romano gaudeat priuilegijs. Metropolitæ Diœcesis Ponticæ, Asianæ, & Thraciæ, & Episcopi inter barbaros constituti à Constantinopolitano Episcopo ordinentur.*

Vide propositionem 3. controuertibilem.

Can. 28. *Episcopus iustè depositus, nec presbyterij honore sit dignus. Iniustè depositus ad Episcopatus dignitatem redibit, cum scilicet constiterit eius iustitia per Ecclesiasticum iudicium.*

Can. 29. *Episcopis Aegyptijs consuetudinem adducentibus nõn subscribendi sine Alexandrino Patriarcha, subscribendi dilatio concedatur, donec*

Archiepisc. Alexandrinus fuerit creatus.

PROP. CONTROVERTIBILES.

PRima; Concilium hoc quod est vltimum ex illis quatuor, quibus tamquam quatuor Euangelijs cultum, & fidem habendam statuit S. Gregorius Papa, Oecumenicum est, ipsique præsedit Leo Papa per suos Legatos, non Martianus Imperator, aut Iudices eius.

Vt ab vltimo incipiam, præsedisse Leonem per Legatos suos patet ex ep. eius ad Synodum, quæ est 42. *Tamen in his fratribus Paschasino, & Lucensio Episcopis, Bonifacio, & Basilio* Presbyteris, *qui ab Apostolic. Sede directi sunt, Me Synodo vestra Fraternitas existimet præsidere, non seiunctam à vobis præsentiã meã, qui nunc in Vicarijs meis adsum, & tam dudum in Fidei prædicatione non desum.* Patet secundò ex sententia contra Dioscorum data à Legatis, Papæ nomine, & habe-

habetur act. 3. Synodi; *Sanctissimus ac Beatissimus Papa, Caput vniuersalis Ecclesiæ Leo per Nos Legatos suos sancta Synodo consentiente..... Episcopali dignitate Dioscorũ nudauit, & ab omni sacerdotali opere fecit exterrem.* Patet 3. quia ipsi in omnibus actionibus primi nominantur, primi sedent, primi loquuntur, primique subscribunt, vt percurrenti sacræ Synodi acta constabit.

Neque hanc præsidentiam Leonem à Marciano obtinuisse, vt suo more mentitur Caluinus patet primò, quia nullibi in Concilio apparet, quod Leo à Marciano id postulauerit, sed solùm quòd Legatos suos miserit, nullius consensu petito, nedùm venia vel permissione. Patet 2. ex epistola Valentiniani, & Marciani Imperatorum ad Leonem, in qua recitantur hæc verba: *Inuitantes atque rogantes vt pro firmitate, & statu nostri Imperij æternam Diuinitatem Tua Sanctitas deprecetur, & vt tale propositum & desiderium habeamus*

qua-

quatenus omni impio errore sublato per celebrandā Synodum Te Authore maxima pax, circa omnes Episcopos Fidei Catholicæ fiat, ab omni scelere pura, & intemerata consistens. Vbi particula illa: *Te Authore*, quæ etiam reperitur in duabus alijs epistolis, quarum vna est Marciani, alia Imperatricis Pulcheriȩ ad ipsum Leonem, satis declarat Imperatores non concedere Papæ Concilij Præsidentiam, sed illam tanquam Papæ omninò debitam supponere,

Obijci hic nobis posset cur tres solos Legatos dixerimus Concilij initio cum Summus Pontifex quatuor enumeret in epistola ad Synodum? Ad quod respondeo tres solos enumerasse, non quia Basilium Presbyterum Legatum fuisse non censeam, sed quia vt notauit Christianus Lupus diss. huius Concil. cap. 1. cum in actis Synodalibus nulla fiat eius memoria, signum ipsum aut reuocatum fuisse, aut defunctum. Ex eo autem, quod

idem

idem Pontifex ait in ep. ad Martianum Aug. quæ tertio loco refertur à Bail, *& in fratre meo Iuliano, quem eorum*, hoc est Legatorum, *volui esse participem &c* non infertur Iulianum fuisse Legatum, sed Legatorum Consiliarium, vt idem Lupus aduertit, quod si Illustriss. Paulutius Iulianum inter Legatos numeret lib. 2. Iurisp. 5. tract. 2. cap. 12. calami lapsui id tribuendum, quia lib. 3. tract. 2. cap. 3. specialem faciens mentionem de Legatis huius Synodi tres solos enumerat, Iuliano relicto.

Ex his apparet nec Martianum, nec eius Iudices Concilij Prȩsides fuisse, sed specialiter nihilominùs hoc colligi potest tùm ex oratione à Marciano habita, vel in prima actione Concilij, vt vult Bellarm. vel in 6. vt censet Binnius, & ex ipso Bail. & Cabbasutius, in qua Imperator ait se venisse ad confirmandam Fidem, sicut olim fecerat Constantinus Magnus, non igitur ad controuersias Fidei judicandas,

aut

aut Episcoporum causas definiendas. Iudices autem Martiani, Concilio aderant dumtaxàt, vt omnia fierent legitimè, sine vi fraude, & tumultibus, ne in hoc Oecumenico, & Sacrosancto Concilio euenire posset quidquam scelerum ac flagitiorum Ephesini Conciliabuli, in quo Dioscorus vi coegerat Episcopos ad subscribendũ vt in hist. notitia tetigimus. Et hac quoque ratione permissum fuit ipsis sententiam condemnationis Dioscori (quæ tamen non fuit iuridica & finalis) proferre, & acta Concilij recitare.

Hoc idem Concilium Leonis præcepto conuocatum fuisse demonstratur primò, quia act. 1. Dioscorus non est permissus sedere inter Episcopos, quia sine auctoritate Sedis Apostolicæ Synodum facere ausus esset, *quod numquam licuit, numquam factum est*. Demonstratur 2. quia Episcopi secundæ, sic ad Leonem Imperatorem scripsere. *In Chalcedonensium*

Ciuitate multi Sancti Episcopi conuenerunt per iussionem Leonis Rom. Pont. qui verè Caput est Episcoporũ. Tertiò ex Gelasio Papa, qui scribens ad Dardaniæ Episcopos ait: *solam*, sub de, tamquam causam principalem, Imperator enim fuit causa secundaria & Ministerialis: *Apostolicam Sedẽ, vt Synodus Chalcedonensis fieret, sua authoritate decreuisse*. 4. ex 41. epist. Leonis ad Marcianum in qua exposito eius desiderio circa dilationem Concil. subdit: *sed quia pio studio humanis negotijs Diuina præponitis...... Ego etiam vestris dispositionibus non renitor, optans vt omnium cordibus Catholica Fides, quæ non potest nisi vna esse, firmetur*. Vbi ponderanda esse verba: *non renitor* notauit Dominicus à Sanctiss. Trin. to. 3. Bibl. Theol. lib. 3. sect. 5. cap. 4. quasi diceret, quod Imperator absque sua voluntate, vel eo renitente Concilium nec conuocare, nec differre potuisset. 5. ex Epist. altera eiusdem Leonis ad Marcia-

num

num, quæ in ipsius operibus est 61. vbi ait: *Generale Concilium, & ex præcepto Christianorum Principum, & ex consensu Apostolicæ Sedis placuit congregari.*

Denique Concilium hoc à Summo Pontifice fuisse confirmatum, euidentissimum est: primò, quia Legati Summi Pontificis accessere ad Concilium instructi de sententia Apostolicæ Sedis circa depositionem Dioscori, eaque omnia, quæ ad Fidem spectabant, vnde absque alio Papæ mandato, nomine ipsius sententiam protulere desupèr citatam. 2. Idem ostenditur ex ep. ipsius Summi Pontificis ad Synodum, quæ est vltima apud Bail, eiusque initium est: *Omnem quidem Fraternitatem vestram nosse non ambigo definitionem sanctæ Synodi, quæ ob confirmationem Fidei in Chalcedonensi Ciuitate celebrata est, toto corde me fuisse complexum &c.* mandans deindè hoc Concilium tamquam Oecumenicum habendum esse, & à communione fidelium

lium resecans defendentes impiũ Dioſcori dogma. Hoc ergo Concilium validum, & Oecumenicum eſſe non eſt dubitandum.

Secunda: Tres alij Canones, qui ſupra viginti ſeptem annumerantur, ſuntque nonus, decimus ſextus, & vigeſimus ſeptimus, (iuxta ordinem ſuperiorem) reijci omnninò debent vtpotè à Leone, & pluribus alijs ſubſequentibus Summis Pontificibus reprobati. Fuiſſe, dixi, reprobatos poſitiuè, & damnatos, nam neque alij viginti ſeptem approbati fuere: Pontifex enim Concilium approbauit ſolummodò: in *ſola Fidei cauſa*. Verum quidèm eſt alios 27. vtiles eſſe & vt tales Romani Pontifices, ac variæ Synodi ipſos in vſu cœperunt adſumere, quod occaſionem præbuit non paucis, illos inter approbatos à Rom. Pontifice connumerandi.

Probatur aſſertio, quæ eſt clariſſima, & à Scriptoribus omnibus propugnata, quia tres dicti Cano-

nes opponuntur sexto Nicæno, & per consequens primo huius eiusdem Synodi confirmanti regulas à SS. Patribus in alijs Synodis stabilitas: In sexto enim Nicæno post Sedem Romanam Alexandrinam dignoscitur; & sancitur, quòd in omnibus *suis seruentur Ecclesijs priuilegia*. In tribus autem dictis Canonibus Constantinopolitana Sedes statuitur prima post Romanã, supra reliquas omnes Patriarchales, causasque Metropolitanorum ad Constantinopolitanam Sedem deferendas statuitur, cum Gelasius Papa citatus in prop. 3. controu. Concilij Constantinopolitani; Illam nec inter Metropolitanas agnoscat. Statuta autem omnia contra Nicænos Canones fuisse à Summo Pontifice reprobata, patet ex epist. ipsius 61. ad Synodum: *Infirmum atque irritum erit quidquid à prædictorum Patrum Canonibus*, (loquitur de Nicænis) *discrepaverit*. Patet 2. ex instructionibus datis à Summo Pon-

tifice suis Legatis: *Sanctorum quoque Patrum constitutionem prolatam nulla patiamini temeritate violari, seruantes omnimodis Personæ nostræ in vobis, quos vice nostra transmisimus, dignitatem, ac si qui forte Ciuitatum suarum splendore confisi aliquid sibi tentauerint, vsurpare: hoc, qua dignum est constantia retundatis.* Idem colligitur ex epist. eiusdem Leonis 53. & ex resistentia Legatorum facta Canoni 27. act. 16. ad hoc congregata, & ex alijs congruentijs efficacissimis videndis inter alios apud Paulutiũ lib. 2. Iurisp. Sacræ tract. 2. c. 12.

Notandum tamen quòd Legati Apostolicæ Sedis soli 28. se opposuerunt, non quòd aliorum duorum non agnouerint falsitatem, sed quia 28. (apud nos 27.) virtualiter illos continebat, vel quia inoleuerat iam consuetudo, vt Constantinopolitanus Episcopus in proximis Prouincijs in Ecclesias aliquas potestatem exercere iuxta vsurpationes iam factas

ante

ante Chalcedonense Concilium: constat enim ipsum Ephesinæ, & Ponticæ Diœceseos, & Thraciæ varios Metropolitanos deposuisse; & ideò ne consuetudinẽ qualemcumque huiusmodi directè impugnarent, duos illos Canones dissimularunt prudenter, & solum postremum 28. oppugnarunt, qui nullo alio nisi fraudis, & versutiæ nitebatur fundamento. His verbis loquitur loco citato Paulutius. Aduertendum denique eminentiam hanc quam supra Ecclesias omnes post Romanam habere tentauit Episcopus Constantinopolitanus, & contra quam egere Gregorius Magnus, Nicolaus Primus aliijque Pontifices etiam tempore D. Petri Damiani, qui dictam eminentiam agnoscere noluit, vt notat eruditiss. Emanuel à Schelstrate p. 1. ant. illustr. diss. 1. cap. 3. num. 57. obtinuisse tandèm tùm consuetudine licèt iniquè introducta, tum Pontificia concessione Innocentij Tertij, & subsequen-

tium Rom. PP. & præcipuè Eugenij Quarti in Concil. Flor. Vnde, quòd in Synodis 5, 6, 7, & 8. Sedes Constantinopolitana secundũ obtinuerit locum, dissimulante id fuit Ecclesia Romana, non confirmante; vt habet Auctor citatus.

Contra id, quod diximus nullos ex Canonibus Chalcedonensibus fuisse à Leone confirmatos arguit Illust. Petrus de Marca, lib. 3. de concord. Sac. & Imp. c. 3. nu. 5. & ex ipso Natalis Alex. diss. 15. sæc. 5. tùm ex collectione Græca quàm Dionysius Latinè vertit, tùm ex Iustiniano, qui vires legis addit omnibus Canonibus editis, aut confirmatis à quatuor Synodis Oecumenicis, tùm ex Gelasio Pontifice maximo cohonestante, Chalcedonenses Canones *Reuerendorum* nomine.

Quod si ipsis objiciatur Leo ep. 61. ad Episcopos, qui Concilio Chalcedonensi adfuerant, scribens: *per approbationem gestorum Synodalium, eandem*, cum Concilio

cilio Chalcedonensi, *iussse sententiam, in sola videlicet Fidei causa, propter quam generale Concilium, & ex præcepto Christianorum Principum, & ex consensu Apostolicæ Sedi placuit congregari.* Vel illa alia eiusdem Sancti Pontificis epist. ad Maximum Antiochenum: *si quid sanè ab his fratribus, quos ad Sanctam Synodum vice mea misi, præter id quod ad causam Fidei pertinebat, gestum esse perhibetur nullius erit penitùs firmitatis, quia ad hoc tantùm ab Apostolica Sede sunt directi, vt excisis hæresibus, Catholicæ essent Fidei defensores. Quidquid enim præter speciales causas Synodalium Conciliorum ad examen Episcopale defertur potest aliquam dijudicandi habere rationem.* Vnanimiter respondent ex Facundo Hermianensi lib 5. c. 4. *Beatissimus* Leo *scribens, non sententiam super Ibæ Epistolam, prolatam, neque Episcopatum prædicto Ibæ redditum, & cætera, quæ in Synodo Chalcedonensi de quibusdam Personis decreta sunt, neque*


Canones Ecclesiasticæ disciplinæ salubriter illic à Sanctis Patribus constitutas, attendit, cum diceret: Vt Sanctam Synodum ad extirpandam solam hæresim, & ad confirmationem Fidei Catholicæ, studio Christianissimi Principis congregatam in occasionem ambitus trahas, & his similia: sed superbam potiùs elationem Constantinopolitani Episcopi, sicut verba indicant.

Sed meo videri hi Doctores Facundi hallucinantur facundia, quod enim habet Facundus, Leonem verbis relatis non respexisse gesta in Synodo Chalcedonensi super priuatas Personas est apertissimè falsum: propositione enim prima controuertibili Synodi Cõstantinopolitanæ secundæ Oecumenicę quintę, probabimus Chalcedonensem Synodum sex solis actionibus absolutam fuisse, & gesta omnia post actionem dictã nullam habere firmitatem, & robur; in his autem contineri decreta de Iba alijsque Personis in-

indubia res est. Totum hoc fatetur apertè Natalis Alexan. diss.4. sæc.6. in qua soluens obiectionem contra Synodum quintam, desumptam ex eo quòd hæc damnauerit Ibæ epistolam in Chalcedonensi Synodo approbatam, in tertia responsione hæc habet: *Definitione Fidei conscripta in Synodo Chalcedonensi ar. 6 & conditis Canonibus eidem actioni subnexis, de singularibus, & priuatis causis Episcoporum actum est, quarum iudicium retractari potuit. Inter illas autem cognita fuit Ibæ causa. Illarum porrò causarum iudicium à Sancto Leone confirmatum non fuit, qui authoritatem Synodi Chalcedonensis in sola Fidei definitione constrinxit.* Post quæ in confirmationem subdit verba Sancti Leonis ad Maximum mox relata. Iam si S. Leo: *Non sententiam super Ibæ epistolam prolatam, & cætera, quæ in Synodo Chalcedonensi de quibusdam Personis gesta sunt attendit, sed superbam potiùs elationem*

Constantinopolitani Episcopi, quomodò ex eiſdem verbis infert Natalis geſta in cauſa Ibę à Sancto Leone confirmata non fuiſſe? Inſuper, ſi S. Leo ſolam Fidei cauſam approbare voluiſſet, ac irrita ne atiuè ſaltē reddere cętera omnia geſta in Synodo, quibus verbis clariùs mentē ſuā aperuiſſet, quam ſupra relatis? particula illa excluſiua: *In ſola Fidei cauſa: Præter id quod ad Fidei cauſam pertinebat*: quis non videt irrita reddere geſta omnia Synodi, præter vnam Fidei cauſam?

Ad authoritates in contrarium ex dictis patet reſponſio: Dicimus enim Pontifices, & Patres Canonum Chalcedonenſium citatione & laudibus, ipſis firmitatem & robur dediſſe, non datam ſuppoſuiſſe à S Leone.



LOCA

LOCA LIBRORVM
in quibus tractatur de discussis in hac Synodo.

NIcephorus lib. 5. cap. 5. Leo Papa in varijs epistolis ad Synodum, ad Marcianum &c. Stapletonius in replica ad Hornisiatum lib. 2. cap. 14. Baronius, Spondanus, Bisciola, alijque Annalistæ ad annum 451. Petrus de Marca lib. 3. de concord. Sac. & Imper. Binnius, Carranza, Coriolanus, Bail, Cabbasutius, Lupus ad Chalcedonense. Boyuinus tom. 4. Theol. ad Chalcedonense. Paulutius lib. 2. Iurisp. Sac. tract. 2. cap. 12. Emmanuel à Schelstrate p. 1. ant. ill. diss. 1. c. 3. n. 57. Natalis Alexander diss 15. sec. 5.



CONCILIVM

CONSTANTINOPOL. SECVNDVM.


Celebratum Anno Christi 553.

Ecclesiam Regente Vigilio Summo Pontifice.

Tempore Iustiniani Imperatoris.

Conuenientibus Episcopis 160.

Contra tres Libellos Theodori, Theodoreti, & Ibæ, & errores Origenis.



SVMMARIA CONST. II. Concilij historiæ notitia.

COnstantinopolitanę Secundæ, Oecumenicæ quintæ Synodi materiam pertractaturi, in ipso narrationis vestibulo, illam ab alia Constantinopolitana Synodo Prouinciali secernere oportet, quidquid in contrarium asserant Surius, Carranza, & Iouerius. Siquidem Constantinopolitana Oecumenica celebrata fuit sub Vigilio Papa, Prouincialis verò sub Agapeto, licet vtraque eodem Imperatore regnante: Illa fuit conuocata contra Theodorum, Theodoretum, Ibam, & Origenem, ista contra Petrum Antiochenum, qui trisagio: *sanctus Deus, sanctus fortis, sanctus immortalis*: addens: *qui passus est pro nobis*: insinuare volebat Naturam diuinam, aut Sanctiss. Trinitatem passam fuisse:

vnde

Vnde eius Sectatores *Theopaßiani* ſunt appellati. Hac igitur Prouinciali Synodo omiſſa, Oecumenicæ aggrediamur hiſtoriam.

Martiano Religioſiſſimo Principe è viuis ſublato, in quem peccauit ſanè Boyuinus to.4. Theol. ad hoc Concilium, ipſum aſſerens Eutychianos repreſſiſſe metu non voluntate, caput in Catholicos extulere Neſtoriani ſimul & Eutychiani, virus ſuum hùc & illùc proijcientes. Illi equidem diuulgando, Syro, Armeno, & Perſico idiomate, ſceleſtiſſima Theodori ſcripta, Neſtoriana dogmata continentia de duabus in Chriſto Perſonis, deque Deiparæ nomine B. Mariæ Virgini denegando, vndè ex Theodoro Neſtorium hanc hauſiſſe doctrinam, fuit nonnullorum opinio à nobis in Epheſino Concilio relata. Neſtorianis fauebant etiam libelli duo, quorum alter à Theodoreto Epiſcopo Cyri compoſitus in duodecim Epheſinæ Synodi anathema.

thematiſmos à Cyrillo Alexandrino concinnatos totidem continebat cenſuras. Alter authorem habuit Ibam Epiſcopum Edeſſenum, qui epiſtolam conſcripſit ad Marin Perſam grauitèr coarguens Rabulam ſuum deceſſorẽ, quòd anathemate dãnaſſet Theodorum Mopſueſtenum Eccleſiæ ſtrenuum defenſorem, & de ea optimè meritum. Et hæc Ibæ epiſtola pro Neſtorianis non paruæ videbatur authoritatis, quia eius Auctor ab Epheſino Conciliabulo ſub impijſſimo Dioſcoro depoſitus, ab Oecumenico Chalcedonenſi Concilio fuerat in priſtinum reſtitutus.

Eutychiani verò vix ſe agnoſcentes Marciani ſolutos formidine, Alexandrinum Patriarchã, qui Dioſcoro fuerat ſubrogatus ex Chalcedonenſi Concilio, è propria deturbatum ſede in Baptiſterio, vbi latitabat, iugularunt, & cadauer in ignem proijcientes cineres diſſiparunt in ventum, ſub-

ſubſtituto in eius loco Timotheo Aeluro, & poſt ipſum Petro Moggo ſummæ nequitiæ viris. Nec minùs Antiochiæ, & Conſtantinopoli Catholicis inſultarunt Eutychiani, ibi enim Petrus Cnapheus, iuxta alios Gnapheus, ſeu Fullo, Eutychianæ, Theopaſchitarum adiungens hæreſim de paſſione diuinæ naturæ, cateruis hæreticorum ſtipatus Sedem occupauit Antiochenam, quam poſt annos nonnullos inuaſit etiam Seuerus Eutychianæ Sectæ propagator inſignis depulſo Præſule Catholico Flauiano. Conſtantinopoli autem ijdem debacchabantur Hæretici priùs ſub Acacio qui Petrum Mogum in Alexandrino Patriarchatu præſidio ſuo retinebat: Deinde ſub Antimo, qui Trapezuntis Epiſcopatu abdicato in Sedem Conſtantinopolitanam proprio viduatam Paſtore ob Catholici Epiſcopi Epiphanij mortem inuolans, Eutychiana hæreſi contaminare non

de-

destitit: Vnde ab Agapeto Rom. Pontifice fuit anathemate percussus, ac è Patriarchatu expulsus, Menna singularis religiositatis viro in eius locum suffecto.

Nestorianis, Eutychianisque Catholicam Fidem sic deuastantibus, accessere Nonnus, & Leontius Bisantinus Monachi nouæ Lauræ (sic dicitur Monasterium Sancti Sabbæ in Palæstina) qui collectis ex libris Origenis erroribus grauissimis, quorum præcipuos infra impugnaturus subnectam, illos per Orientis plagas disseminarunt.

Ne igitur tot errores latiùs serperent postulantibus nonnullis Monachis Hierosolymitanis, Pelagio Diacono Vigilij Papę Apocrisiario, & Menna Patriarcha Constantinopolitano, Imperator Iustinianus nedum Nestorianos, & Eutychianos, verum & Origenistas omnes seuero coërcuit edicto. Quod iniquo ferens animo Theodorus Cesareæ Cappadociæ

Epi-

Episcopus Origenis addictissimus & Chalcedonensis Concilij infensissimus, Iustiniani Imperatoris amicitia abutens, ipsi suadet damnationem trium Capitulorũ Theodori, scilicèt, Theodoreti, & Ibæ, suggerens quod sic corrigendo Chalcedonense Conciliũ, maximum ab Ecclesia auferretur offendiculum. Siquidèm Chalcedonensis Concilij Aduersarij, non aliam ob causam, ab illo abhorrebant, nisi quòd Theodoretum, & Ibam iustè depositos retinuisset relinquendo intactam huius epistolam in qua Theodori Mopsuesteni approbatur doctrina.

Theodori mendacijs acquieuit Imperator, ipsius dolum & astutiam minimè detegens, & missis per totum orbem epistolis Episcopos omnes est adhortatus, vt à se compositum contra tria Capitula edictum subscriptione propria singuli confirmarent. Quod fecere non pauci, inter quos fuit Mennas Constantinopolitanus

nus, ea tamen conditione, vt ſuum recepturus eſſet Chirographum, ſi hæc Summus Pontifex nō probaret: Reſiſtentibus è contra omnibus propemodùm Occidentalibus præſertim verò Vigilio Summo Pontifice, Stephano Diacono, & Datio Epiſcopo Mediolanenſi, metuentibus ne ex eorum ſubſcriptione occaſionem deſumpturi eſſent Acephali reprobandi Chalcedonenſe Concilium.

Eccleſia ſic in partes diuiſa, Iuſtinianus ſpectans præſertim Vigilij Romani Pontificis in edicti ſui contra tria Capitula neganda ſubſcriptione conſtantiam, Synodum Conſtantinopolim celebrandam indixit, ad eam Epiſcopos omnes vocans, ipſumque Summum Pontificem, qui Roma Siciliam pergens, ibique per annum moratus, tùm vt Synodi celebrationem ea impetraret in Inſula, quò ex Oriente Occidente, ac Africa Epiſcopi

ſe

ſe facili nauigatione conferrent; Tùm ne Romam à Gothis obſeſſam periculoſis temporibus penitùs deſereret, Imperatoris animum immutare non valens Conſtantinopolim tandē ſe contulit, ibique ſummo exceptus honore, ab Imperatore Iuſtiniano, inſignia dedit Pontificiæ auctoritatis argumenta decretum promulgans contra Acephalos, quibus fauebat Theodora Auguſta, & Mennam Conſtantinopolitanum Antiſtitē, quòd plurimos compuliſſet Epiſcopos ad ſubſcribendum Imperiali Edicto, à communione ſuſpendens.

Anno denique 548. obtinuit à Vigilio Iuſtinianus, vt in Epiſcoporum ſeptuaginta Conuentu trium Capitulorum cauſa diſcuteretur, quod factum eſt, non quidem Vigilio Præſide, ſed per ſcripturam delatis ad ſe eorum ſuffragijs, quibus in Capitulorum condemnationem ſubſcripſit, *Iudicatum* mittens ad Mennam, quo

tria

tria capitula hucusque à se cum Occidentalibus vindicata damnabat adiecta tamen hac clausula: *salua in omnibus reuerentia Synodi Chalcedonensis*. Hoc linimine sibi suadens Pontifex, mulceri posse Latinorum Episcoporum asperitatem ęgrè trium Capitulorum condennationem ferentium; quòd derogari quamplurimùm Chalcedonensis Synodi reuerentiæ arbitrarentur, sed spes illum fefellit.

Mox enim, vbi Occidentalibus Ecclesijs trium Capitulorum innotuit Pontificia reprobatio, conqueri nedùm cœperunt singuli, ac deplorare Synodi Chalcedonensis authoritatem à Vigilio depressam, proditam ab illo Fidē prauoque inbutam dogmate Ecclesiam; verùm & Africani coacta Synodo, Vigilium, reseruato pœnitentiæ loco, anathematizare sunt ausi. Quamobrèm famæ suæ consulens Pontifex per litteras docuit se in *Iudicato* nihil contra

Chal-

Chalcedonensis Synodi reuerentiam admisisse, prudentique consilio *Iudicatum* à Menna sibi restituendum curauit; omnem deinceps de tribus Capitulis quæstionem sub anathematis pœna interdicens vsque ad futurum Concilium, quod non multò post Constantinopolim celebrandum indixit Iustinianus, licèt in Italia aut in Sicilia cogi Pontifex vehementer optaret.

Diploma nihilominus Pontificium nihil profuit, quia impijssimus Theodorus Cappadox Librum priùs contra tria capitula publicè coram plerisque Episcopis legendum curauerit, dein verò à Vigilio meritò reprehensus simulata pœnitentia veniam impetrans, apud Imperatorem effecerit, vt edictum aduersus tria Capitula publicè proponi: palàmque tùm in Ecclesia Constantinopolitana, tum alibi suspendi iuberet. Quod grauissimè ferens Vigilius, Græcis latinisque Epi-

Episcopis in Placidianam domũ vocatis, ipsos hisce verbis admonuit: *Quicumque edictis istis consensum præbere voluerit sciat se ab Apostolicæ Sedis communione suspensum*. At Theodorus flagitiosorum omnium caput Pontificijs spretis minis Græcorum Antistitum sociatus caterua, ad Ecclesiam, in qua Imperialia suspensa erant edicta se conferens, in ea sacrosancta celebrauit Misteria.

Pontificij anathematis in Edicto suo, se subscribentes certior effectus Iustinianus ira accensus, Vigilium custodiæ tradi iussit, sed ille rebus suis timens in Basilica Sancti Petri in Hormisda confugit, dein accepto per Imperatoris Legatos Sacramento in Placidianam redijt domum, ac tandem cum præter datam fidem nouis in dies afficeretur iniurijs fugit secundò Chalcedonem ad Basilicam S. Euphemiæ. Ibique ab Imperatore semèl atque iterùm Legationes accepit enixè

ipsius

ipsius reditum Constantinopolim postulantes, data ipsi iterum publica fide, sed absque fructu, nam Vigilius, se numquam è S.Euphemiæ Basilica exiturum respondit, *nisi scandalum ab Ecclesia Dei fuerit amputatum.* Vnde Imperator Pontificis victus constantia edictum sustulit, ac integram futurę Synodo trium capitulorum cognitionem reliquit. Quod audientes Menna, Theodorus, alijque eiusdem factionis Episcopi Fidei contexuere libellum, illumque Vigilio adhùc in D.Euphemię templo commoranti miserunt, factique veniam in eo postulantes, impetrarunt: Vnde Mennam Ecclesiæ conciliatum paulò post obijsse non est dubitandum. His peractis, Constantinopolim redijt Vigilius, ibique ab Eutychio, qui Mennæ in Episcopatu successerat, rogatus vt mota de tribus capitulis controuersia Synodo finiretur vniuersali, consensum præbuit, ea lege, vt non nisi

nisi exæquato Latinorum Præsulũ numero Græcis Episcopis, qui Constantinopolim conuenerant, de dictis Capitulis tractaretur.

Sed Imperator moræ impatiens, aduersùs pacta; Synodum quartò nonas Maij coëgit. Interfuerunt Eutychius Regiæ Vrbis Episcopus Mennæ successor, Apollinaris Alexandrinus, Domnus Antiochenus Patriarchæ, alijque Episcopi numero centum sexaginta, qui animaduertentes Oecumenicam non fore Synodum, nisi Pontifex Summus per se, vel per Legatos adesset, missis ad ipsum priùs Eutychio Constantinopolitano Antistite, Alexandrino, & Antiocheno Patriarchis, ac sexdecim Metropolitanis: dein, tribus Patricijs cum multis Episcopis, ipsum enixè rogarunt, vt ad Synodum conuenire dignaretur, ad quod nullis adduci potuit precibus Pontifex, tùm ne recederet à consuetudine Prædecessorum, qui numquam per se in Concilijs ge-

neralibus consederant: Tùm quia non satis amplum Episcoporum Occidentis comitatum habebat: Tùm tertiò, quia timebat, ne Teodori Cæsareensis dolo, & Imperatoris authoritate aliquid fieret in præiudicium sacrosanctę Chalcedonensis Synodi: Tùm denique quia, sua vel Legatorum suorum præsentia nolebat approbare vsurpationẽ Patriarchatus, Constantinopolitani Antistitis, cui si obstitisset, iram in se proculdubio cõcitasset Imperatoris Iustiniani. Spopondit nihilominùs Pontifex se, circa triũ Capitulorũ quæstionẽ seorsim dicturũ propriã in scriptis sententiam, eamque ad Imperatorem missurum; quod & fecit, edito *Constituto*, cuius tamèn in Synodo nulla facta fuit mentio, siuè quòd illud non dùm accepisset Imperator, siuè potiùs quòd se accepisse dissimularet, timens ne trium Capitulorum retardaret damnationem. In ipso Vigilius queritur, contra pactas condi-

tiones incæptā fuisse Synodū; sexaginta sententias, quæ Theodori Mopsuesteni dicebantur, damnat, negans ipsius Personam damnari posse, vtpotè in Ecclesiæ pace defunctam. Theodoreti scripta sub Theodoreti nomine damnari non posse decernit, id asserens in iniuriam Chalcedonensis Concilij cedere, cuius decretis Theodoretus se sine cunctatione subscribēs, à Patribus, vt orthodoxus, vnanimitèr fuit exceptus. Similitèr & Ibæ epistolam sub Ibæ nomine minimè damnandam statuit: Tùm quia ipsa relecta à Chalcedonensis Concilij Patribus Ibas iudicatus fuit orthodoxus. Tùm quia Ibas se Synodi sanctionibus subscribens in sedem suam fuit restitutus. Finem denique *Constituto* imponit, nulli licere, statuens, quidquam contrarium *Constituto* de tribus Capitulis conscribere, componere, vel docere. Ex quo factum est, quòd Concilij acta firmitatem nullam habuerint, nisi

post Pontificiam confirmationem ac *Constituti* retractationem.

Octo autem collationibus absoluta fuit Synodus, in quibus, anathematismis quatuordecim, veritas Catholica per Concilia praecedentia Ephesinum, & Chalcedonense stabilita, est confirmata: Theodorus cum suis impijssimis scriptis excommunicatus: Et fundamento S. Augustini sancitũ posse Haereticos anathematizari post mortẽ. Damnata quoq; fuere duodecim Theodoreti Capitula, contra Cyrillũ, Ibaeque ad Marin Persam epistola, & anathematizatus Origenes cum suis erroribus. An autem prior fuerit Origenis cognitio, cognitione trium Capitulorum? sub Iudice lis est: Praecessisse cognitionem Origenis contendit Henricus de Noris. Oppositum verò defendit Illustr. Petrus de Marca, quos consulat curiosus.

Ex hac historiae serie facilè colligent Sedis Apostolicę aduersarij

ſarij in Vigilio Pontifice incon-ſtantiam in docendo Fidem, quaſi illam modò approbarit modò reprobarit; ſed hæc vmbra euaneſcet, vt ſpero, cum propoſitiones controuertibiles legerint diligenter.

ORIGENIS ERRORES & Rationes.

INnumeri propemodùm ſunt errores, qui Origeni imputantur, à quibus eſto non deſint, qui ipſum defendant, communiſſimè tamen Patres Origenem verè in plures fuiſſe errores prolapſum paſſim docent. Præcipui autem ſunt: Verbum & Spiritum Sanctum creaturas dici debere; quem in Concilio Nicæno, & Conſtantinop. primo nos impugnauimus. Homines reſurrecturos corporibus rotundis, & orbiculatæ figuræ. Omnipotentiam diuinam eſſe terminatam, ac ea quæ potuit, creaſſe: qui impu-

gnatione non egent, vtpotè pura figmenta, & nullo penitùs fundamento innixa.

Animarum statum in corporibus violentum esse, ipsis datum in pœnam peccatorum, quæ commiserant, dùm existerent extra illa; ex quo deducebat Verbum Diuinum priùs tempore vnitum hypostaticè fuisse Animæ, quàm corpori ante quod illa existebat.

Cælos & Astra Anima intellectiua, meriti, & demeriti capaci prædita esse.

Christum denuò crucifigendū pro Dœmonibus, Dœmonesque ac impios homines saluandos.

Quorum errorum fundamenta breuitèr impugnaturus subnectam.

Pro primo: Ratio prima ex verbis Psalmi 118. *Priusquam humiliarer ego deliqui*, in hunc modum efformatur à S. Cyrillo Alexandr. lib. 1. in Ioan. cap. 9. fol. mihi 625. *Ecce* (inquiunt) *antequàm humi-*

humiliatus, ideſt antequam corpori animus connexus fuerit, deliquiſſe fatetur; atque ideò iure humiliatum fuiſſe mortali corpori coniunctum. Mortale namque corpus eſt, immò mors ipſa, vt Paulus oſtendit, dicens: Quis me liberabit de corpore mortis huius? Si ergo (inquiunt) *deprimitur Anima, humiliorque fit in mundum veniens, quia deliquit antequam corpori coniungeretur, patet ipſam ante corpus profectò eſſe.*

Secunda deducitur ex auctoritate Ioannis: *Quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Qua nonnulli* (ait citatus Sanctus) *non ab ore Domini, ſed à corde ſuo eructantes, ſic abutuntur, vt ante corpora humana in beata vita fuiſſe Animas in cælo contendant; & has, quamuis perfectiori bono fruebantur, tamen ſaturitate melioris ſtatus turpi cogitatione alterius vitæ cupiditate eſſe delapſas.*

His addi poteſt tertia: Anima ſeparata perfectiores exercet operationes, cognoſcit enim in

ſe ipſis ſubſtantias , ſpiritus &c. In corpore autem dependet in ſuis operationibus à ſenſibilibus, ergo ſtatus in corpore eſt illi violentus , adeoque pœnalis . Quòd ſi pœnalis , certè ob peccata ab ipſis commiſſa , dum exiſterent extra corpus.

Pro ſecundo : Prima deducitur ex illis Scripturæ locis, in quibus, cælis tribui videtur , Auditus , Loquela, Intellectus &c. Pſal. 35. *Qui fecit cælos in intellectu*. Iſa. 45. *Manus meæ tetenderunt , & omni militiæ eorum ego præcepi*. Deut. 32. *Audite cæli, quæ loquor*. Pſalm. 18. *Cæli enarrant gloriam Dei*. Baru. 3. *Stellæ dederunt lumen in custodiis ſuis , & lætatæ ſunt , & dixerunt , Adſumus* .

Secunda deſumi poteſt ex verbis Eccleſiæ: *Per quem Maieſtatem tuam laudant Angeli , adorant Dominationes, tremunt* Poteſtates, *Cæli, Cælorumque Virtutes* . Vbi Caetanus tract. de Indulg. adductus à Pererio lib. 2. in Gen. cap. 1. per

Cælo-

Cælorum Virtutes, censet venire cœlorum Animas. Nam si ab Angelis extrinsecùs tantùm mouentur cæli, satis fuerat dixisse: *laudant Angeli*. Nec ratio vlla erat, vt si *Virtutes Cælorum* significarent naturales vires, & facultates, quas habent Cœli & Astra recenserentur ab Ecclesia in commemoratione ordinũ Angelicorũ.

Pr〈…〉 tertio: Vnica ratio esse potest, quia id expedire videtur Diuinæ Misericordiæ, etenim *si spiritualia nequitiæ* (sunt Origenis verba apud D. Hieron. ep. ad Auitum) *in cælestibus sunt, & non erubescimus Crucem Domini confiteri propter destructionem eorum, quæ sua Passione destruxit: cur timemus etiam in supernis locis in consumatione sæculorum aliquid simile suspicari, vt omnium locorum gentes illius Passione saluentur?* Et confirmari posset ratio verbis Psal. 76. *Nunquid obliuiscetur misereri Deus? aut continebit in ira sua misericordias suas?*

RATIONES CONCILII Contra Origenem.

Contra primum: Prima infringens primam rationem Origenis fundatur in aliquibus Sac:Script.locis Ad Rom. 5. *Per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors. Per hominem*, inquit Apost. & non per *Animam*, quæ nullatenùs, *Homo*, dici potest. Item eadẽ ep. loquens de Iacob, & Esau c. 9. *Cum enim nondùm nati essent, aut aliquid boni egissent, aut mali non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei: Quia maior seruiet minori, sicut scriptum est: Iacob dilexi, Esau autem odio habui*: Si autem Animæ Iacob, & Esau in peccatorum pœnam corporibus coniunctæ fuerunt, quomodò inquit Apostolus, *cum nondùm nati essent aut aliquid boni egissent, aut mali?* Insuper quomodò absolute Iacob dilectum asserit, si anima eius, æquè

æque ac Anima Esau corporeo carceri in pœnam peccatorum, fuit inclusa? Ioan. 9. *De quodam ab utero Matris cœco* (ait cit. Cyrillus) *Saluatorem discipuli interrogarunt: Rabi, quis peccauit, hic aut Parentes eius, vt cæcus nasceretur? Quid igitur Christus? Nec iste* (inquit) *peccauit, nec Parentes eius, sed vt manifrstentur opera Dei in illo. Quomodò autèm non peccasse asserit eos, qui cum homines fuerint non errasse procul dubiò non potuerunt? Manifestum est igitur, atque conspicuum, quia verba Domini, tempus, quod natiuitatem illorum præcesserat, respicit, quo tempore nec fuerunt, nec peccare potuerunt*. Sap. 2. *Inuidia Diaboli mors introiuit in orbem terrarum. Quòd si* (subdit Cyrillus) *corpus ei iniungitur, quarè Diabolus inculpatur, qui morte supplicium Animæ dissoluit? Quarè Saluatori gratias agimus per resurrectionem rursùs corpora nobis restituenti? sed meritò & agimus, & debemus gratias Saluatori,*

tori, qui nos à corruptione, quam invidia Diaboli nobis intulit suo Sanguine liberauit; non ergo instrumentum supplicij corpora sunt, nec Animæ ante corpora, quando non fuerunt, peccare potuerunt.

Secunda deducitur tùm ex benedictione Dei promittentis Abraham, quasi stellas cœli innumerabiles suos fore. Tùm ex oratione, qua Moyses videns Iudæorum multitudinem: *Dominus Deus Patrum vestrorum* (inquit) *addat ad hunc numerum multa millia.* Tùm ex oratione Annæ Phanuelis filiæ postulantis à Deo Filium, alijsque similibus locis. Si enim animæ ceu ad supplicium introducuntur in corpora, Deus, Abraam *maledictionis potiùs, quàm benedictionis semen pollicetur*. Iudæorum multiplicatio *non optanda, sed repellenda potiùs oratione intercessioneque Moysis ad Deum fuit*. Anna denique *non parùm peccauit filium postulans; Animæ namque lapsum primò, deindè punitionem posce-*

poſcebat. Hæc aliaque argumenta congerit eruditiſſimè perſæpè cit. Cyrillus, quem perlegant ſtudioſi.

Tertia eſt ratio Philoſophica, ſed efficax: Animæ enim cum corpore coniunctio eſt connaturalis, aliter ex ipſa & corpore fieri non poſſet aliquod per ſe vnum, cuiuſmodi eſt homo. Tùm quia Anima eſt Principium operationum hominis, intellectionis, videlicèt, ſenſationis &c. Tùm quia hominem in certa, & determinata conſtituit ſpecie, vnde pars hominis eſt dicenda. Quòd ſi pars, nequit niſi connaturalis ipſi eſſe ſtatus in corpore. Si eſt autem connaturalis, patet dici nullatenùs poſſe ſtatum præfatum, Animæ pœnam, ſupplicium, maledictionem &c.

Ad primam. Dauidicum dictũ *ad illam humiliationem meliùs refertur, quæ facta eſt in Adam, in quo omnis creatura humana, tamquam in radice, vitiata, quoniam veritati*

ſub-

subiecta esse non voluit, subiecta est vanitati. Ità August. explicans Psal. 118. Apostolus autem non de corpore liberari cupit, sed *de corpore mortis huius*. *Non enim*, subdit August. lib. de nat. & grat. apud Bedam expos. ep. ad Rom. cap. 8. *& ille substantiam carnis accusat, cum dicit liberari se cupere de corpore mortis huius, cum etiam corporis sicut Animæ natura Deo bono Auctori tribuenda sit, sed utique de vitijs corporis dicit. Nam de corpore mors corporis separat, sed contracta ex illo vitia cohærent, quibus iusta pœna debetur*. Vel dicendum, quòd sic alloquutus Apostolus fuerit, sciens, *quòd peccatum separans inter nos & Deum penitùs auferri non poterit, donec liberemur à corpore*, vt loquitur Bernardus verba præfata explicans tom. 2. serm. 6. de Adu. Dom.

Ad 2. Verba Ioannis, quibus abutuntur Origenistæ contra ipsos contorquet Sanctus Cyrillus, si enim *ante corpora Animæ fuerunt,*

& qua-

& quadam inclinatione ad malum loco supplicij corporibus connectuntur quomodo venientes in hunc mundum illuminari dicuntur? Illuminatio enim maiorem afferre gratiam videtur, & honoris, certè non supplicij est. Insuper: *Falsum esset illuminari animam in hunc mundum venientem, siquidem mens atque integer intellectus antea fuit. Si enim dùm in corpus veniat, illuminatur, necessè est antequam veniat lumine carere.*

Ad 3. Aliud est Animam esse in corpore, aliud Animam dependere quoad operari à sensibus Primum absolutè Animæ connaturale asserimus. Secundum dicimus non certò constare an sit Animæ connaturale, sunt enim ex Catholicis qui suspicantur id forsitan prouenire in pœnam peccati originalis inter quos est Doctor Subtilis in 1. d. 3. q. 3. & alibi. Non desunt autem, qui dicant dependentiam Animæ à sensibus connaturalem esse Animæ,

mæ, non quòd ſit naturalis eius perfectio, ſed potiùs imperfectio. Cum enim aliquod intrinſecè ordinatur ad aliquem finem, incommoda, quæ ſequuntur ex conſecutione finis, non contra eius naturam ſunt, ſed potiùs imperfectiones connaturales cenſeri debent illius naturæ. Sic quia finis pedum eſt corpus ſuſtinere, collocatio ipſorum in vltimo loco, Pedum connaturalis imperfectio cenſetur. Cum igitur Animæ noſtræ finis ſit conſtituere naturale compoſitum omnium perfectiſſimum, id attenditur magis; quod ſi ob id, detrimentum aliquòd patitur, naturalis conditio eſt, non pœnalis, & violenta. Et hoc valet præſertim in Anima, quæ in corpore, eſto fiat veluti infirma in ordine ad operationes intellectuales, extenſiuè tamen ſit perfectior, exercet enim in corpore operationes ſenſitiuas, & vegetatiuas, quas extra corpus exercere non valet. Quidquid autem

ſit

ſit de his Scholaſticis opinionibus, certum fide eſt Animas inclusas corporibus non eſſe in pœnam peccatorum ab ipſiſmet cõmiſſorum, contra quod, argumentum robur non habet.

Contra ſecundum errorem. Prima deducitur ex illis Script. locis in quibus Cœli appellantur, Domus, Regnum, Ciuitas, Cubile, Sedes, Manſio. *Regnum cælorum vim patitur. Ipſa Ciuitas aurum mundum. In domo Patris mei manſiones multæ ſunt.* Quæ appellationes, cum non referantur ad ſolum Deum, ſed ad iuſtos omnes, accipi debent nedùm in ſenſu myſtico, ſed proprio, aliàs Angeli dici etiam poſſent, Domus Ciuitas, & Regnum Iuſtorum, immò vna Anima Sedes, & Ciuitas alterius Animæ, & vnum Cælum Sedes alterius. Quæ ratio ſi attente perpendatur nedùm Animam intellectiuã, ſed & Senſitiuã, & Vegetatiuam à Cœlis excludit.

Secunda. Si cœli Anima intelle-

tellectiua præditi eſſent, ad imaginem Dei facti dici deberent nō minùs ac homo, quo certè non ignobiliores eſſent, ſed vel præſtãtiores, vel ſaltem æquè præſtantes. Hoc autem dici non poſſe, patet, tùm ex modo ſpeciali, quo Deus creauit hominem: *faciamus* (inquiens) *hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram*, quæ verba apertè indicant ante hominē, creaturam nullam expreſsè poſitam in ſcriptura ad Dei imaginem effectam fuiſſe: *O quale miraculum* (inquit Greg. Nyſſ. lib. de Hom. creat. c. 3.) *Sol fit & nullum præcedit conſilium, cœlum quoque cui nihil in creaturis viſibilibus ſimile reperitur, verbo ſolo perficitur, & opus tàm mirabile nec vndè fiat, nec qualitèr intimatur.* Cuius rei rationem ante aſſignauerat: *Vt ante generationem ſuam homo antiquiorem quodammodò ſortitus ſit dignitatem, priùs quàm ſubſiſteret, vniuerſorum poſſidens Principatum.* Tùm ex illo Deut. 3, in quo prohibetur cultus

Aſtris,

Astris, & Cœlis vtpotè conditis in hominum ministerium: *Ne fortè eleuatis oculis ad cælum videas Solem & Lunam, & omnia Astra Cœli, & errore deceptus adores ea, & coles quæ creauit Dominus Deus tuus in ministerium cunctis gentibus, quæ sub Cælo sunt.*

Nec dicant etiam Angelos esse in Ministerium hominum iuxta illud: *Omnes sunt administratorij Spiritus in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis.* & illud Psal. *Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus vijs tuis.* Aliud siquidèm est creatum aliquid esse in ministerium hominum; aliud, quòd mittatur in ministerium hominum. Dirigi enim potest in alterius ministeriũ, etiam qui maiori pollet nobilitate, & præstantia. At creatum aliquid esse in ministerium alterius, dicit factum esse vnicè propter illud, adeòque in se bonitatem nullam habere, quàm in ordine ad illud. Insupèr *Ministerium*

rium cœlis competens talis debet esse naturæ vt ipsos & inadorabiles reddat, & homine inferiores declaret, vnde esse nequit Ministerium Angelis competens. Insuper *Ministerium* Angelorum satis exponitur sumi pro custodia, & reg mine nobis præstito, at quis dicet Cœlos conditos esse pro nostra custodia, & gubernio?

His accedit alia ratio fundata in eo, quòd si Cœli Anima intellectiua præditi essent, vel omnium vel aliquorum saltem ipsorum via absoluta esse deberet, adeòque si mali in infernum deijci, si boni beatitudine æterna digni effici debuissent. Sicque nonnulli saltèm ipsorum, non est cur à nobis adorari non possint, sicuti adorantur Angeli, & Beati. Tùm quia si Cæli partim sunt in infernū detrusi, partim sunt ad gloriã æternam euecti, a ios certe cælos Deus condidit, alium solem aliaque Astra, quæ prorsùs ridicula esse videntur.

Ad

Ad rationem in contrarium dicimus, similibus phrasibus vti Scripturam circa res omnes creatas. Deuter. 4. *Testes inuoco hodiè Cælum, & Terram.* Isa. 2. *Audite Cæli, auribus percipe Terra &c.* Vnde D. Hyeron. explicans adductum in argumento Isaiæ textum, sic inquit; *Illud, quod scriptum est: Ego omnibus stellis præcepi, occasionem quibusdam tribuit, quòd Astra rationalia sint, & Animam sensumque habeant. Neque enim* (aiunt) *præcipere, nisi intelligentibus. Non recordantes, quòd in Iona scriptum sit:* Præcepit *Dominus Spiritui comburenti.* Et rursùm: *Præcepit vermi matutino. Et quòd in Euang. Saluator Ventos, & Mare increpauerit, in quibus sensum & rationem non esse perspicuum est.* Ad illud autem Psalm. *Qui fecit Cælos in intellectu*, per intellectum venire *Verbum Diuinum*, docet D. Bonau. explicans: *In intellectu, hoc est in Filio.* Quod si dicas etiam in *Filio* creasse reliqua,

qua, respondebo ly *in intellectu* ad omnia referri, & ideò poni in dicto versiculo, ante quem nulla fit mentio operum Dei, nisi in confuso: *Qui facit mirabilia solus*. Vel dicam cum Theodoreto Cœlos præsertim factos in *intellectu*, quia in ipsis præ reliquis operibus inanimatis elucet Artificis sapientia: *Cælum tantummodò conspectum Dei sapientiam prædicat, quando multa est magnitudo, & pulchritudo, & diuturna perseuerantia*. Vèl si placet, Prophetam loqui dicam in dicto versiculo de Cælis Mysticis, de quibus August. *Fecit Deus Cælos in intellectu, spirituales Sanctos suos, quibus non tantùm credere, verùm etiam intelligere Diuina donauit*.

Ad aliam dicimus per *Virtutes Cælorum* venire Angelos, qui eos mouent, cum enim primò generali vocabulo Ecclesia Angelos nominasset, mox in particulari, & distinctè nominat Potestates,

Do-

Dominationes, Seraphim, ac *cœlorum Virtutes*.

Contra 3. Prima probans Christum crucifigendum non esse pro Dœmonibus, ex Psal. 64. *Visitauit terram & inebriauit eam*. 32. *Misericordia Domini plena est terra*. 73. *Operatus est salutem in medio terræ*, sic deducitur à D. Bernardo serm. 54. in Cant. *Numquid & in medio aeris? Hoc aduersùm Origenē qui in aere Dominum gloriæ denuò pro Dœmonibus impudenti crucifigit mendacio: cum huius conscius Mysterij Paulus affirmet, quòd resurgens ex mortuis iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur*. Quæ Apostoli verba contra Origenē adhuc efficaciùs vrgeri possunt ex Aug. lib. contra sex quæst. apud Bedam exp. ep. ad Rom. dicendo, quòd sicut de Lazaro, de filio Viduæ &c. dici non potest resurrexisse non morituros, nec dici posset de Christo, si verè denuò esset crucifigendus. *Vnus resurrexit iam non moriturus: Resurrexit La-*

zarus

zarus, sed moriturus. Resurrexit filius Viduæ, sed moriturus. Resurrexit filia Archysynagogi, sed moritura. Resurrexit Christus non moriturus. Audi Apostolum: Christus resurgens &c.

Secunda probans immediatè Inferni æternitatem deducitur ex pluribus Scripturæ locis, præsertim verò ex illo Matth. 25. *Discedite à me maledicti in ignem æternũ, qui paratus est* Diabolo. Et ex illo Apoc. 20. Diabolus, *qui seducebat eos, missus est in stagnum ignis, & sulphuris, vbi & Bestia, & Pseudo Propheta cruciabuntur die ac nocte in sæcula sæculorum*. Ex quibus duo conficit argumenta August. lib. 21. de ciuit. Dei ad Marcell. cap. 23. & 24. Primum deducit ex particulis illis *æternum. In sæcula sæculorum. Quibus verbis nihil Scriptura diuina significare consueuit nisi quòd finem non habet temporis.*

Aliud argumentum procedens de impijs hominibus, sed applicandum à fortiori Dæmonibus dedu-

deducitur ex eo, quòd si semel finem sunt habitura supplicia Dæmonum, & impiorum, datur locus asserendi finem habituram fælicitatem Sanctorum, eisdem enim verbis designatur in Script. suppliciorum, ac fælicitatis æternitas. *Deindè quale est, æternum supplicium non æstimare, & vitam æternam credere sine fine, cum Christus in eodem ipso loco dixerit vtrumque complexus sic: ibunt isti in supplicium æternum, iusti autem in vitam æternam? Si vtrumque æternum, profectò aut vtrumque cum fine diuturnum, aut vtrumque sine fine perpetuum debet intelligi.* Dixi à fortiori hoc argumentum applicandum esse Dæmonibus, de impijs enim dicitur solùm discessuros in ignem æternum, at de Dæmonibus additur, ipsis paratum esse ignem æternum, ipsosque cruciandos in sæcula sæculorum.

Ad rationem Origenis dicimus Misericordiam diuinam vtique

que exercendam esse in vasa misericordiæ, non in vasa indignationis, & contumeliæ, in viatores, non in mancipatos perpetuo carceri. Quòd si detur, etiam in hos exerceri debere, exerceri dicimus, quia mitiores, leuioresque patiuntur pœnas, quam merita sint ipsorum. Sic discurrit D. Aug. lib. 21. de Ciuitat. Dei cap. 23. *Nemo itaque sic intelligat psalmum canentem: Numquid obliuiscetur misereri Deus &c. vt opinetur de hominibus bonis veram, de malis falsam, aut de bonis hominibus, & malis Angelis veram, de malis autem hominibus falsam esse sententiam* (loquitur de sententia æterni supplicij) *Hoc enim, quod ait Psalmista, ad vasa misericordiæ pertinet, & ad ipsos filios promissionis.* Quam explicationem colligit deinde ex contextu. Et paulò infrà: *Quibus placet istam sententiam vsque ad illa impiorum tormenta protendere, saltèm sic intelligant, vt manente in eis ira Dei,*

qua

quæ in æterno est prænunciata supplicio, non contineat Deus in hac ira sua miserationes suas, & faciat eos non tanta, quanta digni sunt pœnarum atrocitate cruciari; non vt eas pœnas, vel numquam subeant, vel aliquando finiant.

Impugnandi hic essent Theodorus, Theodoretus & Iba, sed quia rationes allatæ contra Nestorium, cum quo hi tres communes habebant errores, sunt contra ipsos sufficientes, ab alijs rationibus breuitati consulentes abstinendum censemus.

PROPOSITIONES CONTROVERTIBILES.

PRima: Synodus præsens, Synodo Sacrosanctæ Chalcedonensi non contradicit. Assertio est certissima, & ab omni sub Cœlo Ecclesia recepta, quidquid in contrarium asserat Halloixius è Società Iesu in suo Origene.

Probatur primò euidenti S. Gregorij Papæ authoritate, qui lib. 3. ep. 4. ad Theodolindam Longobardorum Reg. contra Synodum istam calumniantes, hæc habet: *Quantum vos purè diligimus; tantùm de vobis fortiùs dolemus, quia vos imperitis, stultisque hominibus creditis, qui non solùm ea, quæ loquuntur, nesciunt, sed vix ea percipere, quæ audierint, possunt. Dicunt enim piæ mem. Iustiniani temporibus aliqua contra Chalcedonensem Synodum fuisse constituta, qui dùm neque legunt, neque legentibus credunt, in ipso errore manent, quem sibi de nobis ipsi finxerunt. Nos enim, teste conscientia, fatemur de fide eiusdem S. Chalcedonensis Concilij nihil motum, nihil esse violatum, sed quidquid prædicti Iustiniani temporibus actũ est, ita actum est, vt fides Chalcedonensis Concilij in nullo vexaretur.*

Probatur secundò ex S. Eutychio post Mennam Patriarcha Constantinopolitano, qui primus om-

omnium, Synodũ ſubſcripſit, hæc apponens: *Eutychius &c. ſuſcipiens Sanctas quatuor Synodos, id eſt Nicænam, Conſtantinopolitanam, Ephesinam primam, & Chalcedonenſem, & quæ ab ipſis de vna eademque Fide definita ſunt.*

Probatur tertiò ratione, qua vſus eſt Pelagius II. Pontifex ſcribens ad Epiſcopos Iſtriæ, quia Chalcedonenſe Concilium in ſola Fidei cauſa, hoc eſt in ijs, quæ contra Macedonium, in ipſo definita fuere fuit à Summo Pontifice approbatum, vt tetigimus ſuo loco: Synodum autem quintam nihil omninò immutaſſe, circa dictam Fidei cauſam, ridiculum videtur in controuerſiam adducere. Sed Halloixium audiamus.

Obijcit primò: *In Concilio Chalcedonenſi à S. Leone Pontifice habito, & approbato, iudicatus eſt Ibas Orthodoxus, & quidem ex epiſtola ad Marin ſcripta. In quinto autem Concilio eadem epiſtola vocatur impia.*

Ante reſponſionem aduerto, quòd Halloixius vim faciens in argumento, in eo quòd epiſtola, ex qua Ibas iudicatus eſt Orthodoxus in Chalcedonenſi Synodo, in quinta vocetur impia, nō quintum, ſed Chalcedonenſe impugnare Concilium, vtpotè vt orthodoxum recipiens Ibam vi ipſius epiſtolæ ſcatentis erroribus ac hæreſibus, ac ipſimet Sacroſanctæ Synodo contrariæ: *Epiſtola* inquit D. Greg. Papa lib. 2. ep. 54. *Neſtorium inauditum, & inquiſitione nō facta damnatum aſſerit, Cyrillum verò in Apollinaris dogma cecidiſſe ſuſpicatur. Et ſi totus ſuperior textus prædictæ Synodi legitur, quantùm hæc epiſtola eidem Synodo aduerſetur, inuenitur: Quia ſcilicèt S. Synodus, vt Neſtorium, ſicut eſt, hæreticum denunciat, & B. Cyrillū Patrem Catholicum veneratur. Epiſtola ergo, quæ illum defendit, qui à Synodo damnatus eſt, & eum accuſat, qui à Synodo veneratus eſt, proculdubiò definitioni S.* Syno-

Synodi probatur aduersa.

Hoc notato prima responsio ad Halloixij argumentum colligitur ex nostra tertia ratione. Siquidèm cum Chalcedonense Concilium, in ijs, quæ circa Personam Ibæ in ipso sunt gesta approbatum non fuerit, causa Ibæ potuit in quinta Synodo iterum ad trutinam vocari absque Chalcedonensis Synodi præiudicio: *Specialis quippè*: ait cit. Pelagius, *Synodalium Conciliorum causa est Fides, quod ergo præter Fidem agitur, Leone docente, ostenditur, quia nihil obstat si ad iudicium reuocetur.*

Quæ responsio ex eo confirmatur, quòd causa Ibæ fuit act. 10. pertractata, vt habet ipsemet Halloixius inquiens: *Verba Legatorum Papæ Leonis pro Iba habentur in act. 10. Concilij Chalcedonensis, sub finem.* Concilium autem Chalcedonense terminatum fuisse act. 6. patet 1. ex venia, quam ab Imperatore petiere Episcopi sexta actione finita: *Supplicamus,*

dimitte nos pie Imperator dimitte nos. 2. ex responsione ipsius Imperatoris Episcopos retinentis non propter gesta Synodalia, sed propter priuatas lites & causas: *Multum quidèm estis itinere fatigati, laborem perferentes, verumtamen sustinete adhuc tres aut quatuor dies, & præsentibus nostris magnificentissimis Iudicibus, quæcumque vultis mouete, competens adepturi auxilium.* 3. ex S. Gregorio Papa tùm lib. 2. ep. 49. *De Personis, de quibus post terminum Synodi Chalcedonensis aliquid actum fuerat, Iustiniani temporibus est ventilatum*, tùm lib. 3. ep. 37. *In quinta Synodo de Personis solummodò non de Fide aliquid gestum est, & de his Personis, de quibus in Chalcedonensi Concilio nihil continetur, sed post expressos Canones facta contentio, & extrema actio de Personis ventilata est.* Ex quibus verbis collige actionem, in qua contentio facta est de Personis partem non esse Chalcedonensis Concilij,

lij, aliter verificari non posset, quòd de Personis *In Chalcedonensi Concilio nihil continetur*, nec quod de ipsis non nisi *post terminum Synodi Chalcedonensis aliquid actum fuerit*. Quartò ex eodem S. Pontifice lib 7. ep. 54. ad secund. S. *Chalcedonensis Synodus vsque ad definitionem Fidei, & prolationem Canonum de generalibus causis locuta est. Nam post prolationem Canonum, specialia Episcoporum certamina sopire curauit*. Quintò ex Pelagio Papa c. 17. efficaciter probante Chalcedonensem Synodum sex solis actionibus absolutam fuisse: *Quia verò & apud Episcopos, qui in Chalcedone resederunt, in veneratione Synodus, non nisi vsque ad Fidei definitionem fuit, per hoc apertè ostenditur, quod plerique Græci antiquiores codices continere Synodum non nisi sex actionibus, subiunctis Canonibus, demonstrantur, vt omninò cætera, quæ priuato studio fuerant mota, non habeant*. Igitur etiam dato, quòd Synodu

quinta ſe oppoſuerit geſtis Patrum Synodi Chalcedonenſis poſt ſextam actionem abſque Pontificia inſtructione, aut confirmatione, nullo modo ſequitur oppoſitam eſſe Chalcedonenſi Concilio. Aliud namque eſt: *Chalcedonenſi Synodus*: aliud: *Epiſcoporum Chalcedone ſine Apoſtolicæ Sedis influentia Congregatio*.

Reſpondetur ſecundò abſolutè negando Patres Concilij approbaſſe epiſtolam Ibæ, vt Catholicam, Maximo enim Antiocheno excepto, qui de epiſtola dixit *Orthodoxa eſt eius declarata dictatio*; alij Concilij Patres, ne dum Ibæ epiſtolam, ſed nec ipſum Ibam ſuſcepere, niſi poſt quam certiſſima dedit pœnitentiæ argumenta. Conſtat hoc primò ex ſuffragio Anatolij Conſtantinopolitani Antiſtitis: *Omnem in præſenti de eo ſuſpicionem abijcio, quoniam conſentit, & ſubſcribit ei, quæ nunc de Fide ſententia data eſt à S.* Concilio, *& epiſtolæ Sanctiſſimi Archiepiſcopi*

piscopi Romæ Leonis. Sinistram igitur Anatolius de Iba opinionem conceperat, certè non nisi ob errores in epistola insertos, quam deposuit, videns Ibã se subscripsisse Synodi sanctionibus. Secundò ex suffragio Iuuenalis Hierosolymorum Episcopi: *Qui conuertuntur, hos Scriptura diuina suscipi iubet. Quapropter & eos, qui ab hæreticis reuertuntur, suscipimus. Vndè peruideo Reuerendissimũ Ibam impetrasse Clementiam, quia & senex est, & vt habeat Episcopatus gradum, orthodoxus existens.* Ex quibus verbis deducitur manifestè Ibam receptum fuisse vt orthodoxum, non ob eius epistolam, sed ob reprobationem errorum in epistola contentorum. Tertiò ex reliquis omnibus Patribus, qui Ibam Sedi suæ restituendum non iudicarunt, nisi post anathematizationem Nestorij, vnanimitèr dicentes: *Omnes eadem dicimus, Nestorium modo anathematizet:* quibus Ibas res-

pondens: *Et iam in ſcripto anathematizaui Neſtorium, & nunc anathematizo eum decies millies, quod enim ſemel fit ex animo, ſi fiat decies millies non contriſtat. Anathema & ipſi Neſtorio, & Eutychi, & vnam dicenti naturam, & omnem eum, qui non ſapit, ſicut hæc S. Synodus anathematizo.* Ad plenum ſatiſfecit Patrum petitioni, & epiſtolam vel penitus improbauit, vel ſuam eſſe negauit, vt ſentire videtur D. Greg. lib. 7. ep. 54 ad ſecund. *Epiſtolam verò, quàm in ea Reuerendiſſimus Ibas denegat eſſe ſuam, quòd in extrema Synodi parte iaceat, agnoſcis.*

Nec contra dicta, vim vllam faciunt verba Legatorum Summi Pontificis: *Relectis chartis, agnouimus ex ſententia Reuerendiſſimorum Epiſcoporum Ibam innoxium approbari, relecta enim eius epiſtola agnouimus eum eſſe orthodoxum.* Aliud enim eſt Ibam iudicatum fuiſſe Orthodoxum *ex eius epiſtola* aliud *relecta eius epiſtola*, ſeù

poſt

post lectionem eius epistolæ. Primum est pęnitùs falsum, verum posterius, & hoc intellectum fuisse à Legatis, ipsimet satis ostendunt, cum dicunt Ibam iudicatum fuisse orthodoxum, *relectis* quidem *eius chartis*, sed *ex sententia Reuerendiss. Episc.*, vndè cum probatum sit Episcopos in pristinum nō restituisse Ibam, nisi postquam ipse anathema dixit Nestorio &c. clarè deducitur Legatos superiùs dictis se minimè opponi.

Adduci igitur solummodò in contrarium possunt Maximi Antiocheni verba de Ibæ epistola: *Orthodoxa est eius declarata dictatio.* Sed neque Maximum supradictis se opponi fatebitur, qui Ibæ epistolam in duas diuidi posse partes, attendet. In prima continentur errores, de quibus supra. In altera est contestatio ab Iba facta, paci inter Orientales, & S. Cyrillum consentiens, & contenta in priori epistolæ parte implicitè saltem repudians. Patet hoc

hoc apertissimè ex loquutione, tùm Eunomij Metropolitæ Nicomediensis: *Dudum ex relectis innoxius demonstratus est Reuerendiss. Ibas: In quibu etiam visus est culpare malè loquens, Beatissimum Cyrillum; in posterioribus rectè confessus respuit illa, quibus culpauerat.* Tùm Vigilij Papæ in constituto: *Propter illam prædicationem Fidei, per quam venerandæ recordationis Cyrillus Alexandrinus Episcopus, & Reu. Ioannes Antiochenus Antistes, atque omnes Orientales Episcopi ad concordiam redierunt, orthodoxa est Ibæ Episcopi à Patribus pronunciata dictatio. Illa verò, quæ in ipsa Ibæ epistola cum iniurijs Cyrilli per errorem intelligentiæ dicta sunt, Patres epistolam pronunciantes orthodoxam nullatenùs receperunt.* Hoc posito: Posteriorem epistolæ partem, sicut & reliqui Patres, respexit Maximus verbis adductis, quod ex eo colligitur, quòd non dixerit: *Orthodoxa est eius dictatio*, sed eius *declarata dicta.*

dictatio. Ibas autem priorem epistolæ partem nedùm non declarauit, & exposuit, sed omninò improbauit, & reiecit anathematizando Nestorium, & Eutychetem, partem alteram de pace Orientalium cum Cyrillo complectens, clariùsque exponens atque confirmans.

Insurges: Si igitur ex dictis altera epistolæ pars, orthodoxa est, & innoxia, deceptam fuisse, fateri necesse est, Synodum quintam, anathematizando *eos, qui dicunt eam rectam esse, vel partem eius*. Respondeo Synodum Sacrosanctam his verbis respicere dumtaxat Ibæ epistolam quoad perniciosissima dogmata in ipsa propugnata, in quo sensu verissimum est nullam epistolę partem esse recipiendam. Colligitur explicatio primò; quia ante verba præfata exponit S. Synodus errores omnes in epistola contentos, absque mentione pacis Cyrilli cum Orientalibus, subdens: *Si*

quis

quis igitur memoratam impiam epistolam defendit, & non anathematizat eam, & defensores eius, & eos, qui dicunt &c. Colligitur secundò ex verbis subsequentibus, quibus S. Synodus nedùm damnat defendentes epistolam vel eius partem, verùm etiam eos, *qui præsumunt eam defendere, vel insertam ei impietatem, nomine SS. Patrum vel S. Chalcedonensis Concilij*; loquitur igitur S. Synodus de Ibæ epistola, quo ad *insertam ei impietatem*, & quoad ea omnia, quæ à Patribus Chalcedonensis Concilij reprobata fuere, adeòque non comprehendit Ibæ contestationem de pace Cyrilli cum Orientalibus. Vel dici potest postremam epistolæ partem æquiuocis esse verbis conflatam, vndè, vt omnis, erroris tolleretur occasio, meritò etiam eam partem damnauit S. Synodus. Patres autem Chalcedonenses, & Vigilius Papa illam sano modo accepere, quia Ibas se declarauit sic à se accep-

acceptam fuisse anathematizando Nestorium, & Eutychetem, omnesque Chalcedonensis, & Ephesinæ Synodi aduersarios. Quòd autem verbis æquiuocis dicta epistolæ pars sit composita, patet ex Theodoro Cæsare ensi, qui in quinta præsentis Synodi actione ostendere conatur epistolæ posteriora, peiora prioribus.

Quod autem ait citatus Halloixius Synodi quintæ decretum contra tria capitula, nonnulla continere, *quæ falsa sunt, nimirùm quòd Ibæ epistola, abneget Deum Verbum hominem factum esse, & dicat Deum Verbum non esse incarnatum ex Virgine, sed purum hominem ex ipsa natum. Non habet hoc, nec illud epistola Ibæ, sed non esse vnam Naturam Deitatis, & humanitatis Domini nostri Iesu Christi, quemadmodum credebat teneri à Cyrillo, priusquam idem Cyrillus anathemata sua explicasset*: claudicat ex duplici capite: Primò enim esto hæreses dictas epistola non

con-

contineat expresse, illas nihilominus propugnat, ac tuetur in defensione Nestorij propter hereses dictas in Ephesina Synodo damnati. Secundò falsum itidem est Ibam credidisse Cyrillum vnā admisisse naturam Deitatis, & humanitatis, priusquam idem Cyrillus anathemata sua explicasset: Ibam enim epistolam suā scripsisse post Synodum Ephesinā, ac capitulorum Cyrilli explicatione iam facta, ex ipsamet epistola colligit S. Greg. lib. 7. ep. 54. ad secund. his verbis: *Sed quia eius defensores solent dicere, quòd hanc Ibas eo tempore scripsit, quo adhùc Cyrillus propter duodecim capitula, quæ nec dum exposuerat, dubius habebatur: in ipsa hac epistola perpende, quia legitur, quod inter Orientales Episcopos, & B. Cyrillum pax fuerit celebrata. Si ergo post concordiam pacis, post satisfactionem amotæ dubitationis, hæc eadem epistola scripta est, constat quia non est Catholica.*

Obijcit

Obijcit ſecundò Halloixius: *De perſona Theodoreti contraria ſenſerunt Concilium Chalcedonenſe præſidentibus Legatis S. Leonis Papæ, & Concilium quintum procurante Iuſtiniano. Nam illi Theodoretum nulla afficiendum contumelia cenſuerunt, quin ipſum potiùs poſtquam Neſtorio dixit anathema laudibus exceperunt. Iuſtinianus autem vnà cum ſuis aſſentatoribus ſcripta eiuſdem Theodoreti contra Cyrillum condemnari nominatim voluit.* Subdit deindè Synodum quintam ſe opponere etiam Vigilio, qui in ſuo conſtituto defenſionem Theodoreti ſuſcepit.

Rancidum appellat hoc argumentum Henricus de Noris, nec immeritò: Ex eo quòd enim Patres Concilij Chalcedonenſis Theodoretum, *poſtquam Neſtorio dixit anathema laudibus exceperunt*, infert, malè à quinta Synodo Theodoreti non Perſonam, ſed ſcripta fuiſſe damnata, quaſi quòd per Theodoreti conuerſionem

nem etiam eius ſcripta euaſiſſent Catholica. Directam igitur reſponſionem ex Arguentis verbis deſumo, dicendo in Chalcedonenſi Synodo receptum fuiſſe post data pœnitentię ſigna Theodoretum non eius ſcripta, in Synodo autem quinta damnata fuiſſe Theodoreti ſcripta, non eius Perſonam, in quo nec contradictionis eſt vmbra: Etenim, *Dum eius, & Perſonam recipimus* inquit Pelagius 2. ad ep Iſtr. *& ea, quæ dudùm latuerant praua ſcripta reprobamus, in nullo à S. Synodi actione deuiamus: quia ſola eius hæretica ſcripta reſpuentes, & cum Synodo adhuc Neſtorium inſequimur, & cum Synodo Theodoretum profitentem recta, veneramur. Alia verò ſcripta illius non ſolùm recipimus, ſed eis etiam contra aduerſarios vtimur.* Eadem reſponſio proportionaliter eſt applicanda conſtituto Vigilij.

Obijcit tertiò Halloixius: *Concilium quintum contra proprium*

caput

Caput pugnans, id est contra Vigilium Papam, damnauit Theodorum Mopsuestenum, quem Patres Concilij Chalcedonensis, & Ephesini primi, censuerant non damnandum. Sed solito more decipitur, primò enim falsum est Ephesinum Concilium nullo modo damnandum decreuisse Theodorum, in Ephesino enim Concilio fuit lectum, & damnatum quoddam Symbolum Theodoro attributum, quoniam verò nec innotescebat dictũ symbolum à Theodoro compactum fuisse, nec nota erant scripta de Incarnatione ab eodem postrema ætate cõfecta, Patres Concilij nullam fecere mentionem de eius Persona, ne ipsam anathematizando populis præberetur occasio non recipiendi Synodum Ephesinam, propter æstimationẽ, quam de Theodoro conceperant. *Nullam viri,* inquit Cyrillus epist. ad Proclum Antistitem Constantinop. *memoriam fecerat dispensatiuè, nec ipsum nominatim anathe-*

mati

mati subiecit, propter dispensationem, ne quidem ad existimationem viri respicientes sese ab Ecclesijs separarent. Nec à veritate aberraret, qui diceret cum Pelagio ep. cit. verbis infra adducendis Theodorum fuisse in Synodo Ephesina anathemate confossum, non quidèm proprio nomine, sed in *Nestorio*, & in decreto aduersùs impium eius symbolum, vndè post Ephesinam Synodum ex Ecclesiæ Mopsuestenæ diptychis iure fuit eius nomen expunctum.

Ephesino Concilio absoluto Nestoriani Theodori publicarunt scripta, vt Nestorij dogmata in illis contenta faciliùs populorum infigerent cordibus. Sed ipsorum astutias detegens inter alios Rabulas Edessenus Metropolita, nedùm scripta, verùm & Theodorum ipsum licèt è viuis sublatum excommunicationi subiecit. Ex quo factum est, vt Ibas Rabulæ successor Theodoro addictissimus scribens ad Marin Persam,

Rabu-

Rabulam reprehenderit, quòd anathematizasset, *Theodorum veritatis prædicatorem Ecclesiæque Doctorem, qui non solùm vita sua colaphis cecidit hæreticos pro veritate suæ Fidei, sed & post mortem spiritualia arma in opusculis suis Ecclesiæ filijs dereliquit*. Et hæc fuit epistola, qua perlecta Ibas fuit iudicatus Catholicus non ob laudes Theodoro delatas erroresque in illa contentos; sed quia post epistolæ recitationem Ibas Nestorium publicè anathematizauit, & anathematizando Nestorium, implicitè eadem censuit dignum censura Theodorum hæreseos Nestorianæ auctorem. Ex quibus omnibus manifestè colligitur Synodum quintam aduersatam nō fuisse Ephesino aut Chalcedonensi Concilio; non Ephesino, quia hoc circa Theodori Personam dispensatiuè se egit, nec Theodori scripta de Incarnatione Dominica examinauit. Nec Chalcedonensi, tùm quia in ipso nulla

nulla de Theodoro facta fuit mẽtio, sed in priuato Patrum congressu, tùm quia Ibæ prior epistolæ pars Theodori continens laudes fuit reprobata nedùm à Patribus, verùm & ab ipsomet Iba, vt diximus. Ad confirmationem ex Vigilio desumptam respondebimus infra.

Quoniam autem hìc sermo est factus de Theodoro Mopsuesteno peti posset, an rectè se gesserit S.Synodus anathematizando eius Personam post mortem? Ad quod responsio breuior, & expeditior est, Synodum hanc propriè non excommunicasse Theodorum, sed excommunicatũ solummodò declarasse, quod fieri posse in eos, qui ab Ecclesia segregari meruerunt dum viuerent, propter hęresim, schisma, & atrocissima crimina, in quibus certum sit eos obijsse, probatur tùm ex can. 86. Eccl. Afric. *Si quis Episcopus hæredes extraneos à consanguinitate sua, vel hæreticos etiam consanguineos, aut*

Paganos Ecclesiæ prætulerit, saltèm post mortem ei anathema dicatur, atque eius nomen inter Dei Sacerdotes nullo modo recitetur. Tùm ex D. Aug. in ep. ad Bonif. comitem: *Quamuis & si vera essent, quæ ab eis* (Donatistis) *obiecta sunt Cæciliano, & nobis possent aliquando monstrari, ipsum iam mortuum anathematizaremus.* Quibus addi debet nos contrarium docere non posse, nisi mortuos anathematizando, errorem committamus, quem impugnamus. Vndè rectè Pelagius in cit. ep. *Theodorum mortuum Synodus prima Ephesina damnauit,* subde in Nestorio, ... *& si mortuum damnari non debuisse dicimus proculdubiò mortuos accusamus, & incipimus committere, quod nitimur prohibere.*

Quòd si contra dicta adducantur Patres nonnulli vel Theodorum Mopsuestenum laudantes, vel asserentes, eos qui in pace Ecclesiæ sunt defuncti anathema-

tizari post mortem non posse: Quo ad hoc secundum, dicendum, vel ipsos loqui de his, qui verè mortui sunt in Ecclesiæ pace, ità vt certò non constet ipsos in errore aliquo iam ab Ecclesia proscriptò obijsse: vel loqui de excommunicatione rigorosa, non de illa, quæ à nõnullis dicitur excõmunicatio secundum quid supra explicat. Ad primũ his verbis respondet cit. Pelagius: *Scitis, quòd res quæ dubietati subiacet in partem semper interpretanda est meliorem. Quid itaque obstat, si dùm de eius errore occultum adhùc & dubium fuit, ab vno Patre laudatus est: & innotescente, post, perfidia, penè omnium magnorum Patrum sententijs, velut immanis bestia, quasi crebrescentibus iaculis est confossus?*

Secunda: Vigilius Pontifex in causa trium Capitulorum in Fidei errorem non incidit. Pro hac assertione tuenda Emin. Annal. Scriptor pro certo prius suppo-

po-

ponit ex D. Greg. Papa: *In hi disceptationibus de tribus capitulis nullam fuisse de Fide quæstionem vt alter ab altero alitèr sentiens dici posset hæreticus*. Aduertit deindè *vtramq; partem*, nempè Vigilium, & Synodum quintam, *in altercando, ac differendo professam esse, totum quod ageret in id respexisse, vt consultum esset dignitati, sicut & authoritati sacrosancti Calcedonensis Concilij*. Ex quibus infert licuisse Papæ, sententiam mutare varijs vrgentibus causis, cum ex mutatione nihil oriretur vel contra Fidem, vel contra Chalcedonense Concilium.

Amplector pijssimi Scriptoris probationem, sed aduertendum censeo primam ipsius suppositionem, sicut & nostram superiorem ex D. Gregorio non esse sic accipiendam, vt in Synodo quinta nullum Fidei dogma fuerit confirmatum, nullaque hæresis profligata, constat enim in Synodo quinta damnata omninò

fuisse Theodoreti scripta, Ibæ:que ad Marin Persam Epistolam ob errores in ipsis contentos: sed quòd in quinta Synodo nulla Fidei materia de nouo fuerit pertractata, quod est verissimum; & enim ad nullam dogmatis quæstionem conuenit hæc Synodus, quæ non fuerit antea ab Ecclesia decisa. Et sic intellecta Baronij verba ac D. Gregorij auctoritas validissimè probant intentum, ad quod sufficit Vigilium numquam sententiam mutasse in rebus Fidei, sed in gestis circa Personas. Quod Clariùs:

Probatur, quia si Pontifex arguendus esset erroris, vel id esset ob renitentiam initio ab ipso factam circa trium capitulorum damnationem, vel ex *Iudicato* contra tria capitula edito, vel ex *Constituto*, quo à *Iudicati* sententia discessit, vel denique ex confirmatione Synodi quintę, suique *Constituti* retractatione. Non ex renitentia, non enim errori, sed

sed summæ est tribuendum prudentiæ, damnationi capitulorum resistere, si non dùm constat de erroribus in ipsis contentis, ac ijsde, quæ contra ipsa, vel in ipsorum fauorem ab œcumenicis Synodis fuerint sancita: Cum igitur Latini omnes Episcopi dānanda non esse capitula censuerint, ob reuerentiam Chalcedonensis Synodi cuius acta circa dicta capitula non dum constabant, cumque Acephali damnatione trium Capitulorum emendandum crediderint Chalcedonense Concilium, ex dicta renitentia, erroris argui non potest Vigilius. Nec secundò ex *Iudicato*, in hoc enim Pontifex tria damnauit Capitula, clausula illa: *Salua Chalcedonensis Synodi reuerentia*. Prospiciens enim ex vna parte errores in scriptis Theodoreti, & Ibæ Epistola contentos, & videns ex altera Latinos adhuc Capitulorum aduersari damnationi ob Synodi Chalcedonensis

reuerentiam, certus Chalcedonensem Synodum nullo modo approbare potuisse hæreses adeo manifestas, & sanctionibus ab ipsamet Synodo editis contrarias, & errores damnauit, & gesta S. Chalcedonensis Concilij immutata reliquit. In quo nec erroris vmbra videtur.

Nec tertiò, ex *Constituto* in quo si errasset potissimùm in causa Theodori, in causa enim Theodoreti, & Ibæ errores eorum damnans, Personis non anathematizatis non errasse satis superque constat ex dictis; atqui nec errauit in causa Theod. ergo &c. mi: prob. quia Vigilius docuit solummodò non excommunicandum esse Theodorum, credens ipsum verè mortuum fuisse in Ecclesiæ pace, non autem negauit excommunicatos declarari posse defunctos, de quibus constat in heresi iam damnata pertinacitèr obijsse. Ad hoc dicendum:

Mo-

Moueor primò ex verbis ipsius Vigilij in *Constituto*, in quo rationem assignans, ob quam putabat damnandum non esse Theodorum: *Graue est*, inquit, *insultare defunctis .... iustissimum enim apparet prudentibus viris cedere præscienti Deo scilicet vniuscuiusque voluntatem, & cognoscenti, qualis quisque futurus sit.* & infra: *eos, qui iam vitam reliquerunt superuacuum est iniuriari post mortem, quos nec viuos aliquandò culpauimus*, loquitur ergo Pontifex de mortuis in Ecclesiæ pace, nam si de illis loqueretur, de quibus constat defunctos fuisse in hæresi aliqua iam damnata, ac propterea flammis perpetuis destinatos, futilis esset recursus ad diuinam præscientiam vniuscuiusque voluntatem agnoscentem.

Moueor secundò, ex exemplis & authoritatibus, quibus in *Constituto* suam firmat sententiam Vigilius, illam probans primò ex S. Leone in ep. ad Theo-

dorum Foroliuiensem Epis. hæc habente: *Nec necesse est nos eorum, qui sic obierunt, merita actusque discutere: cum Dominus Deus noster cuius iudicia nequeunt comprehendi, quod sacerdotale ministerium implere non potuit, suæ iustitiæ reseruauit*: Subsumo: Atqui de mortuis in defensione hæresis iam proscriptæ *sacerdotale ministerium est impletum*, ergo de istis non loquitur S. Pontifex. Minor ostenditur, quia in damnatione cuiuslibet hæresis, nedùm hæresum damnantur Authores, verùm & omnes ij, qui post Ecclesiæ definitionem, illam audent defendere. vnde si hi ab hac vita impænitentes discedunt, absque alia declaratione, excommunicati discedunt.

Adducit secundò Vigilius auctoritatem Gelasij Papæ in Ep. ad Episc. Dardaniæ de Acacij causa scribens: *Qui postquam in Collegium recidens prauitatis iurè meruit ab Apostolica communione seclu-*

secludi, in hac autèm damnatione persistens defunctus est, quam superstes nec quæsiuit omninò nec meruit, mortuus iam non potest impetrare. Siquidèm ipsis Apostolis Christi voce delegatum est: Quæ ligaueritis super terram, & quæ solueritis super terram &c. A quibus non dissimilia sunt, quæ habet idem Gelasius in gestis Synodalibus de Miseni absolutione. Iam quis non videt Gelasium loqui de mortuis verè in Eccles. pace, non autèm de defunctis in obstinata defensione hæreseos iam damnatæ? Iam diximus supra aliud esse anathematizare, aliud anathematizatum declarare, contra primum militant verba Christi Domini: *quæcũq; ligaueritis &c.* non contra secundũ, declarare enim excommunicatum aliquẽ non est ligare, sed ligatum supponere. Quod patet à contrario: Pontifex enim asserit absolui non posse Acacium eo quòd *in damnatione persistens sit defunctus*, pari igi-

ri igitur ratione sequitur solùm damnari non posse indemnè defunctum, non autèm declarari non posse excommunicatum talitèr mortuum: Et confirmatur magis ex eo quòd addit Pontifex, dictam nempè *Regulam in Sanctorum Ioannis Constantinop. Episcopi, quem Chrysostomum vocant, atque Flauiani eiusdem ciuitatis Episcopi veneranda memoria fuisse seruatam, qui licèt violentèr exclusi sunt, non tamèn pro damnatis sunt habiti, eò quòd inuiolatam eorum communionem Romani Pontifices seruauerunt, nec abscindi ab Ecclesia potuerunt, vel poterunt, quos inconuulsè vnitos Apostolica iudicauit authoritas*. Quis autem dicet Chrysostomum & Flauianum in hęresis iam damnatæ defensione fuisse defunctos? & tamèn hoc supponere debuisset Vigilius, si in fauorem mortuorum in aliqua hæresi iam damnata, dictis vsus fuisset exemplis.

Adducit deniq; Vigilius exemplum

plum S. Dionisij Alexandrini, quĩ ex Eusebio lib. 7. hist. Nepotis Episcopi libros, quibus fabula de millenario in terris, Christi Regno asserebatur, damnauit, Nepotem verò ipsum, quia in pace Ecclesiæ obierat nulla est aggressus iniuria. Sed hoc exemplum præ cæteris nostro fauet intento, Nepotis enim error nondùm fuerat ab Ecclesia damnatus, vndè Nepos verè obijt in Ecclesiæ pace. Quod satis indicat idem Dionisius verbis ab eodem Eusebio relatis: *In alijs quidèm multis etiam ego amplector & diligo Nepotem, vel pro Fide sua* (quod est valdè notandũ) *vel pro eruditione, & studio Scripturarum & præcipuè pro exercitio psallendi. Est ergo etiam mihĩ erga eum multa reuerentia, & indè magis quia iam præcessit ad Deum. Magis*, inquit, non *solùm, quia præcessit ad Deum*. Si ergo multa erga Nepotem erat Dionisij reuerentia propter Fidem &c. sequitur Ne-

potem verè in Ecclesiæ pace fuisse defunctum.

Ex his omnibus patet responsio ad Halloixium in tertia superiùs posita obiectione dicentem, Synodum quintam in Theodori damnatione contra propriũ Caput pugnasse. Dato enim, quòd Synodus Theodorum excommunicare non debuisset Vigilij non expectata sententia, Vigilij doctrinæ non contradixit: Hic enim Theodorum in Ecclesiæ pace defunctum supponens decreuit ipsum damnandum non esse, Synodus autem quinta ipsum damnauit certior effecta de eius morte in pertinaci defensione hæresum ab Ecclesia iam proscriptarum in Paulo Samosateno. Deniq; Vigilium non errasse in vltima voluntate acta Synodi confirmante, patebit ex tertia propositione, in qua probando Synodũ quintam vt œcumenicam ab omnibus venerari debere, euidentèr ostendetur Vigi-

gi-

gilium in Synodi approbatione, errare non potuisse.

His sufficientèr vindicatus videtur Vigilius à Fidei erroribus. Excusandus nunc est à leuitatis & inconstantiæ vitio, pro quo sufficiant verba Pelagij persæpè cit. asserentis inconstantiam & leuitatem minimè dicendam, sententiæ alicuius mutationem, si ad eam nouis inducimur rationibus & fundamentis, quæ priùs latuerant, quod confirmat Pontifex varijs exemplis subdens: *Si igitur in trium Capitulorum negotio aliud cum veritas quæreretur, aliud inuenta veritate dictum est, cur mutatio sententiæ huic Sedi incrimine obijcitur, quæ à cuncta Ecclesia in eius Auctore veneratur? Non enim mutatio sententiæ, sed inconstantia sensus in culpa est. Quando ergo ad cognitionem recti intentio incommutabilis permanet, quid obstat si ignorantiam suam deserens, verba permutet?* Ex quo textu colligitur quòd licèt in

Ec-

Ecclesia visa fuerit aliquando mutatio circa definitiones aliquarum propositionum, antecedenter reprobatarum, ea non fuerit in sensu. Nam eisdem verbis propositionis, cum sint capacia plurium sensuum, ab vna Persona datur vnus ab alia alius, sic etiam vno tempore præualet vnus sensus, alio alius, vndecumque id sequatur. Sicuti propositio illa: *Vnus de Trinitate crucifixus est*, pronunciata à Ioanne Maxentio eo tempore, quo plerique dabant eum sensum, qui respiceret Naturam Diuinam reprobata est, succedente verò tempore, quo plerique intelligebant eam respicere Personam, admissa est: vtrobique sine Fdei præiudicio, nam vtrobique reiectus error de passibilitate Diuinitatis. Sic igitur ante *Constitutum* immò ante Synodum plures Episcopi apprehendebant in damnatione trium Capitulorum impugnationem Concilij Chalce-

do-

donensis, quia ad illum finem proposita fuerat à nonnullis, postea verò cum constitisset non opponi, & Patres Synodi quintæ non habuisse eam mentem, admissa est. Certum siquidèm est quòd ex mente Pronunciantis manifestata eadē propositio modò damnatur, modò reprobatur, proùt Pronuncians modò vnam mentem manifestat modò aliam.

Hæc de Vigilio in causa trium Capitulorum, sed vt tantum Pontificem ab Hæreticorum calumnijs pænitùs absoluamus abs re non erit obitèr hìc respondere obiectioni ex Liberato desumptæ, qui in Breuiatio cap. 22. affirmat ipsum scripsisse epistolam Theodoræ Imperatrici, & alijs hæreticis, qua ipsorum hæresi confirmata anathema dicebat ijs, qui duas in Christo naturas confitentur. Ad quod dupplex est Catholicorum responsio. Prima est eorum, qui dicunt epistolam præfatam ab

Hæ-

Hæreticis confictam fuisse, quod credere non est inuerisimile, act. enim 3. sextæ Synodi inuenti sunt libri duo nomine Vigilij prorsùs confictι. . Dicunt alij Vigilium epistola præfata verè damnasse Catholicam Fidem, sed tempore, quo adhùc verus Petri Successor non erat. Nota quippè historia est eum ambitione Romani Pontificatus plura indignè molitum, & in locum S. Siluerij expulsi è Pontificia Sede, in illam intrusum fuisse. Vnde dum adhuc S. Siluerius viueret, non nisi Antipapa fuit, illo verò è viuis sublato legitimus esse Pontifex cæpit, non ex vi primæ intrusionis, sed eum tunc accipiente, & confirmante Clero & populo Romano. Epistolam autem præfatam ante legitimam ad Pontificatum euectionem composuit, cum verò legitimus Pontifex esse cæpit, tàm se religiosè & integrè gessit vt nihil ex ijs, quæ ante Theodo-

ra

ræ Imperatrici promiserat, præ, stare voluerit. Qua de causa Vigilium post mortem Siluerij verum & sanctum Pontificem fuisse testantur omnes illi, qui illo ipso tempore viuentes aliquid de ipso scripserunt, vt videre est apud Bellarm. & ex ipso apud Domin. à ss. Trin. t. 3. Bibl. Theol. l. 3. sec. 4 c. 17. §. 6. & apud Emin. Ioseph. Aguirre tr. 2. de infall. R. P. d. 29.

Tertia: Quinta Synodus meritò inter Oecumenicas connumeratur. Assertionem probat desupèr laudatus Baronius dicens: *non esse hoc nouum, vt aliqua Synodus, cui nec per legatos ipse Pontifex interfuerit, sed aduersatus fuerit, titulum tamèn obtinuerit Oecumenicæ, cum postea vt huiusmodi titulum obtineret Romani Pontificis voluntas accessit. Ità quidèm accidisse superiùs, diximus Synodo Constantinopolitanæ sub Theodosio Maiore celebratæ, repugnante Damaso qui vt suo loco vidimus Synodum ipsam Romæ celebrandam indixerat,*

cui

cui tamèn accedens postea eiusdem Damasi Papæ consensus eam Oecumenicam esse fecit. Sic igitur quæ aliquando penitùs expers fuit, vt nec legitima Synodus dici meruerit, eo quòd resistente Romano Pontifice fuerit congregata, & eodem contra obnitente absoluta: vbi tandem pariter ipsius Vigilij & Successorum Romanorum Pontificum sententia est probata: eadem titulo Oecumenicæ toti Christiano orbi plena eluxit auctoritate. Hæc ille. Sed:

Tanti Scriptoris pace, paritas Constantinopolitani primi Concilij in falso fundatur supposito, licèt enim Damasus Papa Concilium Romæ celebrandum statuerit, Occidentales nihilominus Episcopos Constantinopolim vocauit, vt indè faciliùs Romam iter aggredi induceret, à quo illi postea se excusantes, Pontifex annuit eorum petitioni vt diximus in Const. Concilio. Et hanc fuisse Baronij sententiam de vocatione Episcoporum

Con-

Constantinopolim, patet ex ijs, quæ habet anno Christi 381. n. 19. & seq. *Accidit verò vt cum tot tantique in vnum conuenissent Episcopi de Macedonij hæresiarchæ damnatione in Synodo ageretur. Placuisse autem in primis id Damaso Romano Pontifici, ipsumque de his egisse apud Theodosium Imperatorem iurè opinari licet.&c.* Subdit deindè rationes dictę assertionis à nobis prop.1. contr.Const. pr. Concil. relatas, quibus non videtur cohærens, quod Concilium Constantinopolitanum primum factum sit: ***Damaso repugnante.***

Nec adeò verum videtur Synodum quintam repugnante Vigilio conuocatam fuisse; vèl enim loquimur de conuocatione præcisa Concilij generalis, vèl de conuocatione Constantinop. potiùs quàm alibi? si de conuocatione præcisa, Vigilius nedùm ipsi non restitit, verùm eã viribus totis promouit. Patet hoc ex ipso

Ba-

Baronio anno Christi 553. n. 23. *Bene consultum fuit vt ex Vigilij Papæ sententia Synodus Oecumenica ageretur. Id quidèm Vigilius ipse Pontifex præ cæteris exposcebat, quem eius rei causa tot tantaque mala esse perpessum vidimus.* Si verò loquamur de conuocatione Constantinopolim facta, non inficior diù restitisse Vigilium, cupientem illã in Sicilia, vel aliqua Italiæ ciuitate celebrare, vt rectè aduertit Baronius num. 25. *Proposuit &* Iustiniano *Vigilius si ad Synodum agendam Sicilia non placeret, vt aliam aliquam ipse Italiæ ciuitatem maritimam æque sibi subditam* Imperator *eligeret*: negari tamen non potest, quòd Vigilius Imperatoris animum in suam sententiam trahere non valens, ad Synodum Oecumenicam Constantinopolim conuocandam suum præstiterit consensum, cum hoc fateatur Baronius num. 26. *Instat rursus, Vigilius vrgetque* Imperatorem *vt saltèm (quod*

aqui-

æquitas non negaret) ex Italia & Africa ad Synodum Constantinopolim vocarentur Episcopi.

Quod denique ait Baronius Synodum quintam absolutā fuisse Vigilio renitente, ipsamque redditam Oecumenicam sola Pontificis confirmatione est longè verissimum. Constitutum enim Vigilij, in quo damnandum non esse Theodorum decreuerat, à Patribus Concilij vel expectatum non fuit vel occultatum, vnde lata ab eis excommunicatio in Theodorum, fuit præter Pontificis voluntatem, quod sufficit vt præsens Synodus firmitatem nullam habuerit ante Pontificis confirmationē. His pręmissis:

Probatur principalis assertio primò ex Epistola Vigilij ad Eutichium Constantinop in qua Pontifex exemplo D Augustini à constituto se retractans, Synodum quintam confirmat. Quòd si hęc Epistola in dubium vocetur ab aliquibus, certè Vigi-

gi,

gilium Synodum quintam confirmaſse, dubitari non poteſt cum hoc fateatur Synodus ſexta verbis illis. *Vigilius Iuſtiniano conſenſit & Synodus conſtitit* & Pelagius II. in ep. ad Epiſc. Iſtriæ. *Debet ergo perpendere veſtra dilectio, quia Prædeceſſorum noſtrorum* (Vigil. videlicet & Pelagij primi) *conſenſus in hac cauſa tantò poſt inanis non fuit, quantò prius duris contradictionum laboribus inſudauit.* Photius ep. encyclica: *Vigilius aderat apud Vrbem quidem, Synodo tamen non interfuit, eo quòd nolebat ſpontè ſe ad illum aggregare conuentum. Ille autem nihilominùs Fidem communi Patrum ſuffragio editam libello ſuo confirmauit.*

Probatur ſecundò ex D. Gregorio Papa non ſemel Synodum hanc vt Oecumenicam venerante; ſufficiant nobis verba, quæ habet lib. I. ep. 24. ad Ioannem Epiſc. Conſtantinop. *Quintum quoque Concilium pariter veneror, in quo Epiſtola, quæ Ibæ dici-*

dicitur erroris plena reprobatur &c.

Probatur tertiò ex S. Maximo Mart. qui in disp. cum Pyrrho Monothelita quintæ Synodi authoritate illum vrgens, fatetur illam vt Oecumenicam proculdubiò venerandam. *Quinta verò Synodus vt omnia prætermittam, cum decreuit ipsis verbis vt amplecteremur omnia scripta Sanct. Athanasij &c.* Omitto alias authoritates breuitati consulens cum allatæ abundè sufficiant ad veritatem nostræ propositionis clariorem Sole reddendam.

LOCA LIBRORVM

In quibus tractatur de discussis in hac Synodo.

D. Gregorius Papa lib. 2. ep. 36. ad Episcop. Hiberniæ & in alijs epistolis. Baronius, Spondanus, Bisciola alijque Annalistæ & Epitomatores ad annum 553. Christianus Lupus ad Con-

Concil. Conſtant. 2. Euagrius lib. 4. cap 32. Leo II. in ep. ad Conſtant. Imp. Hal oixius in tom. integro, cuius titulus *Origenes defenſus*. Emmanuel à Scheleſtrate. in Eccleſ. Afric. diſſ. 4. cap. 5. fol. 303. & ſeqq. Bellarmin. de Rom. Pontif. lib. 4. cap. 10. & de Concil. lib. 1. cap. 19. Dom. à SS. Trinit. tom. 3. Bibl. Theol. ſect. 4. cap. 17 §. 6. Franciſcus Macedo Schola 7. Theol. poſit. cap. 4. Boyuinus tom. 4. Theol. quadrip. c. 2. ad Concil. Conſt. 2. fol. mihi 251. Binnius, Bail. Coriolanus Carranza, Cabaſutius, alijque de Concilijs agentes. Henricus de Noris diſſ. de Synodo quinta per totam.

NOTABILIVM INDEX

Numerus paginam indicat.

A

Azi-

B

C

Cœlos

Dei-

F

G

H

Ho-

I

L

M

tus

N

O

P

SS. Pa-

Pro-

Q


R

S

Sar-

Theo-

V



LE-

LECTORI LIBER.

Liceat saltem, Amice Lector, culpam deprecari, cum non possim culpa carere. Tot irreparabiliter scateo mendis, vt Author ipse non minus, vt ita dicam, correctioni, quam rerum complanationi insudarit. Notabiliora, latinitatem, vel sensum vitiantia, subijciuntur correcta; reliqua, interpunctiones, videlicet, literarum permutationes, & alia eius generis, Humanitati tuæ corrigenda traduntur.

Pag.	lin.	Menda.	Correctio.
5	17	ad domum	domum
14	17	dicentis	dicens
15	5	adiudicatam	adiudicatum
19	13	dispedsatorem	dispensatores
24	5	vndecimi	quinquagesimi primi
34	1	tes	præsentes
96	17	ad quas	ad quam
114	2	in quo	in qua
117	24	iudicamur	iudicamur
139	25	tutissimum locum	in tutissimo loco
139	27	percommodum	percommodo
141	13	conuentibus	conuenientibus
143	5	Constantinopolis	Constantinopoli
173	14	Constantinopoli	Constantinopolim
179	22	Constantinopolim	Costantinopolim vsque
189	1	notitia	notitiam
163	3	cum sequentibus	sequentibus
195	25	celebrant	celebrat
195	26	rescindunt	rescindit

Pag.	lin.	Menda	Correctio.
196	1	deponunt ac damnant	deponit ac damnat
196	22	substituunt	substituit
199	20	factus est	factum est
218	15	conuocata	conuocatum
220	15	in eam esse sententiam	in ea esse sententia
220	20	quem	quam
249	27	sinat	sinant
255	16	electio	electionem
261	25	signum	signum videtur
262	19	potest tum,	potest
263	25	secundæ	secundæ Mysiæ
282	1	Origenis	Origeni
282	2	Concilii Chalcedonensis	Concilio Chalcedonensi
283	3	hæc	hoc
283	19	Cōstantinopolim	Constantinopoli
282	23	Siciliam	in Siciliam
286	9	Constantinopolim	Constantinopoli
282	17	in Basilica	in Basilicam
299	1	carceri	carcere
312	7	impugnare	impugnet
325	10	se opponi	opponi
340	6	& enim	etenim
341	5	ijs de	de ijs
341	6	lauorem	fauorem

Imprimatur.

Si videbitur Reuerendissimo Patri Magistro Sacr. Palatij Apostolici.

S. C. M. *Episc* Cirenen. *Vicesg.*

Imprimatur.

Fr. Ioseph Clarionus sacræ Theologiæ Magister, ac Reuerendissimi Patris Fr. Dominici Mariæ Puteobonelli Sacr. Apostolici Palatij Magistri Socius.